


4682. III d.M. 2. v.d.

*EX LIBRIS Francisci
SLUGA PRAE*

~~Ex:~~
Libris Francisci Fluge
1774.



PROPOSITIONES

EX

UNIVERSA MENTIS, SENSUUM, ET
MORUM PHILOSOPHIA

DEDICATAE

ADMODUM REVERENDO EXIMIO, ET
RELIGIOSISSIMO PATRI

ALBUINO WAHL,

SACRI ORDINIS MINORUM STRICTIORIS OBSER-
VANTIAE ALMAE, AC CELEBERRIMAE PROVIN-
CIAE TYROLIS D. LEOPOLDI EXDEFINITORI,
CONCIONATORI AULAE EMERITO, ET IN PRAE-
SENS REFORMATAE PROVINCIAE S. CRUCIS CRO-
ATIAE CARNIOLIAE VISITATORI COMMISSARIO
GENERALI, PATRI, AC SUPERIORI
COLENDISSIMO.

PUBLICAE DIPUTATIONI EXPOSITAE
NEOSTADII IN AEDIBUS D. LEONARDO
SACRIS

ANNO AERAEE VULGARIS MDCCCLXXII.
a RR. FF. MARIOPHILO TURCOVICH,
FELICISSIMO CHRISTL,
ET NICEPHORO FACHINETTI,
Ord. Min. Strictioris Obsrv. Philosophis absolutis

P R A E S I D E

P. F. CASTULO WEIBL,
eiusdem Ordinis Philosophiae Lectore.

L A B A C I,

LITTERIS EGERIANIS.

ПРОГНОЗЫ

11. MAR2209 2010A ARTHUR
ALLEGORY IN RUSSIA

THE AMERICAN

GEORGE WASHINGTON, BOSTON, MASS.
THE HISTORICAL SOCIETY OF MASSACHUSETTS
CONGREGATIONAL CHURCH, BOSTON, MASS.
CHARLES WALTERS, BOSTON, MASS.
WILLIAM C. COOPER, BOSTON, MASS.
JOHN D. COOPER, BOSTON, MASS.
JAMES M. COOPER, BOSTON, MASS.
JOHN COOPER, BOSTON, MASS.

ОДИНАДЦАТЬ ДЕСЯТЫХ ЧАСОВ
ВЪ ВѢЧЕНОРОДѢМЪ
ПРИЧАСТИЮ СЛУЖАЩІИ
СЪ МАСОНСКОГО ТУНДРІ
ЗАНЯЛИ МІСЦІЇ СІДІНІ

GLASS

B. E. CASTLEMAN & CO.
PRINTERS & PUBLISHERS.

LAHICHT
CANTATA

030035951



EX PROLEGOMENIS PHILOSOPHIAE.

PROPOSITIO I.

Philosophia, est rerum Divinarum, &
humanarum, causarumque, quibus
hae res continentur, Scientia.

Superbo Sophorum, seu sapientum no-
mine olim gloriatos fuisse accepimus,
quotquot rerum Divinarum, & huma-
narum notitia excelluerunt; cuius-
modi fuere Thales Milesius, Solon, Pittacus,
& alii Græciæ Sapientes. At Pythagoras
referente Diogene Laërtio a) cum plura co-
ram Leonte Phliasiorum Principe de Divi-
nis, humanisque rebus docte, atque copiose
differuisset, quemnam se prositeretur, ab

A 2 eodem

a) In Proœm. ad Vit. Phil,

eodem rogatus: ut Græcorum retunderet fastum, se non esse *sόφον*, seu sapientem, sed φιλοσοφον, sive sapientiæ amatorem ingenue, modesteque respondit. Hoc deinde nomen, ut inquit S. Aug. b) ita posteris placuit, ut quantalibet de rebus ad Sapientiam pertinentibus doctrina quisque vel sibi, vel aliis videretur excellere, nonnisi Philosophus vocaretur. Itaque Philosophia juxta nominis etymon, *Amor*, sive *Studium Sapientiæ* dicitur: In re autem à Tullio c) optime definitur esse *Rerum divinarum & humanarum, causarumque, quibus hæ res continentur, Scientia*. Quare ut Philosophi prærogativam jure sibi quis adsciscat, satis ei nequaquam est res ipsas nōesse, sed earum quoque rationes, causas, modosque, quantum fieri potest, apprehendat, & ē legitimis principiis deducat, est necesse Nuda rei, aut facti notitia cognitionem historicam parit, ast dum rationem cur quidquam sit, vel fiat, aut esse, vel fieri possit, sufficientem reddimus, scientiam philosophicam habere dicimur.

PROPOSITIO II.

Hæc Scientia revera existit.
Adeptu quidem impossibilis visa fuit Academicis, qui teste Tullio d) nihil cognosci, nihil

b) L. 14. de Trin. c. 2.

d) L. 1. Acad. qq.

c) L. 2. de Offic.

nihil percipi, nihil sciri posse, opinionibus, & institutis omnia teneri, nihil veritati relinqu: deinceps omnia tenebris circumfusa esse dixerunt. Dumque nihilominus in eo toti erant, ut veritatem inquirerent, omnem ex hac rerum universitate Philosophiam, scientiamque amoliebantur. Verum imbecillis adeo ingenii neminem fore existimamus, qui horum præjudiciis adsentiatur. Plurima sunt, & meridiana luce clariora principia, si per singulas Philosophiæ partes divagemur, ex quibus cognitiones plurimæ, certæ, ac evidentes per legitimam, ut vocant, consequentiam eruuntur, in quo scientiæ notionem existere nullus ignorat, nisi in Philosophia plane sit hospes. Plurima sunt, de quibus dubitare haud possumus, nisi talparum instar in meridie cœcutire, & cum Acatalepticis in summam prolabi vesaniam velimus. Judicium de omnibus esse suspendendum, persuadere adnituntur Sceptici; at si nobis fluctuandum est semper, nec in veritatis inquisitione portum attingere unquam possumus, frustra profecto Sapientissimus Naturæ Auctor vim cogitandi adeo excellentem, & ardentissimam sciendi cupidinem, qua in veritatis affectionem rapimur, nec ante quiescere volumus, quam intellectui satisfiat, animis nostris indidisset. Itaque saniorem amplexi Dogmatorum partem rite concludimus, non modo

possibilem esse, verum etiam actu cognitio-
nem, sive scientiam philosophicam apud nos
reperiri.

PROPOSITIO III.

*Ea primo Parenti à Deo infusa, & inde
in posteros transmissa, nunquam
orbe penitus extorris fuit.*

Ortum Philosophiae à Deo tamquam à Causa prima repetendum esse merito censemus; Dominus enim dat sapientiam, & ex ore ejus prudentia, & scientia. e) Vetus autem opinio est Theologorum æquè, ac Philosophorum consensu firmata, eam numeris omnibus absolutam primo Parenti à Deo conditore fuisse infusam. Adamum certe perfectissima rerum naturalium scientia excelluisse, vel ex eo luculenter colligimus, quod attestante sacro textu f) cunctis animalibus terræ, & universis volatilibus Cœli ea imposuerit nomina, quæ naturæ cuiusvis responderent. Qui congruis nominibus (verba sunt S. Jo. Chrysostomi) jumenta adpellare, & volatilia cœli, & alias bestias potest, quomodo non omni sapientia, & industria pollet? g)

Aper-

e) Proverb. c. 3,
4. in Gen.

f) Gen. 2.

g) Hom.

Apertius id eruitur ex eo S. Scripturæ testimoniio. h) *Disciplina intellectus replevit illos* (primos parentes) *creavit illis scientiam Spiritus, sensu implevit cor illorum, & mala, & bona ostendit eis.* Quibus verbis præcipuas quatuor Philosophiæ partes expressas vide-mus. Quid quod Josephus i) narret, Sethi nepotes Cœlorum ordinem, ac fiderum cursus observâsse; neve inventa sua ex hominum notitia dilaberentur, cum generalem Mundi interitum, unum incendio, diluvio alterum prædixisset Adamus, duas excitasse columnas, alteram lateritiam, alteram lapideam, & utrique sua inventa insculpsisse, ut si lateritia diluvio periret, superstes esset lapidea, quæ hominibus discendi copiam faceret. Etsi vero relatio hæc fabulosa forte fit, ut nonnulli existimant, accommoda tamen est, ut opinio de propagata per Adamum in posteros Philosophia esse antiquissima evincatur. Hinc audiendi non sunt, qui cum Thomasio, Gundlingio, Huetio omne Philosophiæ studium apud Patres ante-diluvianos viguisse negant. Neque satis mirari possumus Diogenem Laërtium, qui k) incunacula Philosophiæ in Græcia collocavit. Quippe ab Affyriis, Chaldæisque, quos Tullius l) cognitione astrorum,

A 4

soler-

b) Eccl. 17. v. 5. & 6. i) L. 1. Antiq. Jud. c. 3. k) Proœm. ad vit. Phil. l) L. 1. de Div.

Solertiāque ingeniorum antecelluisse memorat,
 Arithmeticam teste Josepho *m*) per Abrahamum translatam ad Aegyptios, hosque ab eodem Astrologiæ studium edocatos fuisse, ex relatione Alexandri Historici apud Eusebium *n*) accepimus. Atque ut de sapientia Moyfis, qui 400 annis Bellum Trojanum præcesserat, Danielis, Salomonis &c. taceamus, ex antiquissimis instrumentis eleganter probat Cl. Aug. Steuchiūs *o*) omnem philosophiam à Chaldaeis ad Hebræos, ab Hebræis ad Aegyptios, ab his ad Græcos, à Græcis tandem ad Romanos fuisse profectam, neque deinceps orbe ullo unquam tempore penitus exulasse.

PROPOSITIO IV.

A Græcis tamen plurimum exculta, & aucta, subinde in varias abiit Sectas.

Id quidem gloriæ perlibenter Græcis tribuimus, Philosophiam ab iis plurimum lucis, & incrementi accepisse; enimvero non singulas modo partes ejus peculiari, & nunquam satis laudanda industria excoluerunt, verum

m) L. 1. Antiq. Jud. c. 9. *n*) L. 9. Præpar. Evang. c. 4. *o*) L. 1, de Perenni Phil. c. 1.

verum etiam in unum corpus digestas ad seram posteritatem transmiserunt. Varias inde pro vario philosophantium genio enatas fuisse Sectas vidimus. Thales Milesius Jonicam, Pythagoras Italicam, Socrates, & Plato Academicam, Stoicam Zeno, Epicurus Democriti vestigia premens Atomisticam erexit. Aristoteles prima Sectæ Peripateticæ fundamenta jecit: hæc posteaquam diu sepulta jacuisset, sub initium Sæc. IX. ab Arabibus excitata in Scholasticam deinceps abiit, rursumque pro varia Aristotelem explicandi ratione in celeberrimas tres Sectas Thomisticam, Scotisticam, & Nominalem divisa fuit, tenuitque ferè Sola in universis Europæ Scholis principatum, donec circa medium Sæc. XVII. caput extulisset Mechanicum philosophandi genus à Viris quidem antiquissimis cultum, sed suis è cineribus potissimum à Galilæo de Galilæis resuscitatum, atque à Gassendo, Cartesio, Newtono peculiarium Sectarum Parentibus auctum, novisque inventis illustratum.

PROPOSITIO V.

Harum Sectarum nulla prorsus contemnenda, sed è singulis, quod veritati magis accedit, eligendum.

Arbitramur enim cum Lactantio p) nullam sectam fuisse tam deviam, neque Philosophorum quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero. Unde Sectas omnes respicimus, nihil eis honoris debiti detrahen-tes, & præprimis Scholam Peripateticam cum laude nominamus, qua & plures Patres, ut fidei dogmata explicarent, usi sunt, quamque præclari Doctores, ut Petrus Lombardus, Alexander de Ales, Albertus M. S. Bonaventura, D. Thomas, Scotus, Ocham &c. suis commentariis non mediocriter illustrârunt. Nec tamen ita comparati sumus, ut eorum numero accedamus, qui, prout loquitur noster Alphonsus à Castro. q) *Volunt hominum Scripta velut Divorum oracula recipi, illumque honorem illis exhiberi, qui solis sacris Litteris debetur; non enim juravimus in verba hominis, sed in verba Dei.* Ea philo-
phandi methodus optima est, in qua non quæritur, quis quidpiam dixerit, sed quam recte. *Cum sapere, id est, veritatem quærere omnibus*

p) L. 7. Div. Instit. c. 7. q) L. 1. Contra
hæres. c. 7.

omnibus sit innatum, ait Lactantius r) sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo iudicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quod majorum nomine posito non putant fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant; quia minores vocantur, aut illi despuerint; quia maiores nominantur. Igitur apes imitandas assumimus, quæ per prata, campos, hortosque vagantur, floresque ad faciendum mel idoneos carpunt, deinde quidquid attulere disponunt, atque per favos digerunt, utque Virgilius canit -

Liquidantia mella

Stipant, & dulci distendunt necare cellas.
Harum exemplo & nos nullius in hominis verba jurantes ea feligere constituimus, quæ meliora sunt, eamque in adiaphoris (semper tamen intra prudentiæ limites) tenere viam, qua planius, propiusque veritatem assequamur.

PROPOSITIO VI.

*Philosophis nihilominus in materia communi,
& connexa cum dogmatibus Theologie
non remanet absoluta sentiendi
libertas.*

*C*ondemnanda certe effrænis eorum quidquid audendi libido, qui nulla, vel admodum

r) L. 2. Div. Instit. c. 8.

modum exigua in disceptationibus philosophicis veritatum revelatarum cura tanguntur, idque mordicus defendendum assumunt, quod ipsorum arridet genio, tametsi cum sacratoris doctrinæ placitis concordare non videatur. Dedignantur profani hi consensum Philosophiæ cum Theologia, atque cum impio Spinoza s) persuadere sibi pergunt, neque *Theologiam rationi*, neque *rationem Theologiæ ancillari*. Hisce præjudiciis occupatus Petrus Pomponatius Philosophus Mantuanus Immortalitatem humanæ Mentis de fide quidem certam, at philosophice negandam esse supercilios plane dictorio inferre non dubitavit. Sed quorsum hic luxuriantis ingenii pruritus? num forte verum vero contrarium esse valet? Num Deus Fons, & origo omnis veritatis ordinem Gratiae, ac Naturæ sic instituit, ut, quod falsum est in Natura, in ordine Gratiae ceu verum reputari possit? absit; nam summa Veritas sibi contradicere nequit. Neque enim alia esse potest Theologorum veritas, alia Philosophorum (ait doctissimus Lud. Muratorius) alia Dei, alia hominum; ac proinde cedat oportet ratio fidei, non fides rationi, sicut æquum est, ut homines Deo, non Deus hominibus cedat. t) Philosophiæ ceu ancillæ non dictandi libertas,

s) Fr. Theol. polit. c. 15. t) L. de Moder. Logen, c. 21.

tas, sed parendi necessitas propria sit; Theologiæ tamquam heræ tota dominandi potestas est relinquenda. *Quid mirum*, ait S. Hier. ep. ad Magnum apud Cl. Habert u)
Si & ego sapientiam sœcularem ... de ancilla, & captiva Israël idem facio ? sed Domini voce præceptum, mulieris captivæ radendum caput, supercilia, & ungues corporis amputandos, & sic eam habendam in conjugio, Deut. 21. v. 12. Conjugatur Philosophia profana cum sacra Theologia, ita tamen, ut illa Christiana fiat, non hæc profana, & naturalis evadat. *Serviat illa, hæc dominetur ancillæ, & captivæ, supercilia radat, arrogantiam coérceat, & petulantiam comprimat, circumcidat ungues, ne ad supernaturalia manus mittens, ea potius deturpet, quam elucidet.* Ita Habert Loc. cit. Duplex idcirco extremum maximopere evitandum, ut neque summa fidei mysteria rationi naturali velut unicæ detegendæ in iis veritatis regulæ cum Naturalistarum turba indecenter subjiciamus : neque rationes omnes philosophicas è Scholis Theologicis eliminandas cum Luthero arbitremur. *Erunt enim ii*, ait Doct. Melchior Canus x) si ita res procedit, optimi præstantissimique Theologi, qui plurima loca memoria tenuerint, & quod *Jurisperitis objicitur, qui elenchi fuerint libro-*
rum,

u) De Euchar. c. 13. x) L. 9. de Loc.
 Theol. c. 3.

rum, & indices. Id quod in Germania regnante Luthero accidit, ut Sutores, qui Novum Testamentum memoriae mandarunt, magni, & præclari Theologi haberentur: atque adeo mulierculæ, quoniam Evangelia, & Paulinas Epistolas memoriter recitare poterant, omnium Academiarum Theologos ad disputandum provocarent. Tanta igitur in materia communis, & connexa cum dogmatibus Theologiæ hanc inter & Philosophiam concordia servanda est, ut neque directe definitionibus Ecclesiæ contradicatur, neque statuatur quidpiam, quo posito veritas ab Ecclesia recepta defendi nequeat, nisi cum violenta interpretatione in sensum ab ea intentum detorqueatur. Error in Philosophia persæpe caudatus est, longumque post se trahit errorum firma, quos sacratiōr Theologiæ disciplina nunquam non abominata fuit. Latet neminem vel mediocri sacræ Historiæ notitia imbutum, quantam in Ecclesia Dei stragem vana, & effrænis philosophandi ratio causârit. Prodierunt ex Academia, numerisque Pythagoræis Æones Valentini, Ebionis Item, Cerinthi, Cerdonis, & Menandri deliria, & universa Gnosticorum Secta, in qua hæresum Panspermia continetur. Stoa detestabiles Marcionis, & Manichæorum foetus enixa est: ex Epicuri hara integri Materialistarum, Naturalistarum, Libertinorum, Deista.

istarum &c greges evolarunt. Atque ut cœtera silentio premamus, ex hoc uno, quod Philosophi naturam ab hypostasi rite non distinxerint, enormes circa Ss. Trinitatis, ac Dominicæ Incarnationis mysteria Sabellii, Arii, Tritheitarum, Nestorii, & Eutychis hæreses prorupere, ut adeo Philosophos illimitatam ubivis sentiendi libertatem affectantes merito *Hæretorum Patriarchas* adpellaverit Tertullianus. y) Ratum itaque, fixumque manet, quod initio posuimus, in materia communi, & connexa cum Dogmatibus Theologiæ Philosophis utut Eclecticis absolutam non concedi opinandi licentiam.

E X E L O G I C A.

PROPOSITIO I.

Logica Scientia rationalis discretiva veri à falso modum sciendi pro objecto respicit.

Logica prima Philosophiæ pars à græca voce λόγος derivata facultatem denotat non ore, sed mente Sermocinandi. Miræ sunt laudes, quibus eam Veteres

y) de anim. c. 2.

æque, ac Recentiores extulerunt. Ab Aristotele ^{z)} *Organum*, seu *Instrumentum sciendi*, à Tullio. ^{a)} *Veri, falsique disceptatrix*; à S. Augustino ^{b)} *Disciplina disciplinarum* vocatur: Eam alii cum Scoto ^{c)} *Facultatem rationalem discretivam veri à falso*: *Scientiam* alii *recte cogitandi* adpellârunt. Sanior in eo Philosophorum pars conspirat, Scientiæ prærogativam Logicæ omnino convenire; Tradit enim præcepta, & regulas, quibus Mens humana in recta veri cognitione, aptaque ejus explanatione dirigitur, quæque ex veris, & evidenteribus principiis per legitimam demonstrationem eruuntur. Quoniam vero Logica in cognitione veri non quiescit, sed eo intrinsece, ac immediate tendit, ut Mentem dirigat, ipsamque perficiendis omnibus operationibus suis idoneam reddat, omnis evitandæ confusionis ergo duo quam maxime sunt distinguenda: Objectum nempe, ac Materia Logicæ. Objecti nomine illud intelligimus, circa quod Facultas scientifica demonstrative versatur, cuiusque naturam, & principià inquirit, affectiones item, atque proprietates manifestat: at vero id, circa quod Scientia directive occupatur, usitato in Scholis vocabulo materiam ejus nuncupamus.

- ^{z)} L. 3. Metaph. ^{a)} L. 4. QQ. Acad. c. 28.
^{b)} L. 2. de Ord. c. 13. ^{c)} Q. 1. Super Univers. Porph.

mus. Hinc pro Logices objecto modum sciendi, seu regulas illas, quibus Mens in operando dirigitur, ea de causa statuimus, quod de his ita differatur in Logica, ut demonstrationes omnes in ea adferri solitæ circa modum sciendi totæ sint, nihilque pene earum detur, quod ad illum unice non pertineret. Operationes porro Intellectus, ut dirigibles, materiam Logicæ dicimus; hujus enim finis intrinsecus, & immediatus est, mentem ad verum inveniendum idoneam reddere, ac ita perficere, ut rectè operetur.

PROPOSITIO II.

*Harum operationum quatuor assignamus,
Perceptionem scilicet, Judicium,
Discursum, ac Methodum.*

Sunt quidem, qui cum Cl. Edmundo Purshotio d^a) duas tantum cogitandi rationes perceptionem videlicet, atque Judicium distinguunt; Discursum, ac Methodum ad hoc postremum esse referendum arbitrantes; Verum si operationum harum notionem presius expendamus, non Discursum modo à prioribus duabus, sed Methodum quoque à cœte-

d) P. 4. Log. c. 1. prop. 1.

cæteris tribus jure, ac merito distinctam effabimur; enimvero neque Discursum, qui transitus est ab uno judicio ad aliud, neque Methodum, cuius nomine actum illum designamus, quo Mens ideas, Judicia, atque Discursus inter se scientificè confert, ordinat, disponit, eorumque vitia detegit, quo veritas in obscuro posita tanto facilius eruatur, aliisque demonstretur, sub ratione Judicij, cuius est, aut prædicatum de subjecto adfirmare, aut negare, ullo pacto contineri prehendemus. Hanc sustinentes operationum Menti distinctionem Logicam ipsam in Perceptivam, Judicativam, Discursivam, atque Methodicam partimur.

PROPOSITIO III.

Prima mentis operatio nunquam, nisi ratione subsequentis Judicij tantum, falsa esse potest.

Simplex rei perceptio, quam teste Seneca e) Divinus ille Plato primus omnium *ideæ* nomine expressit, ea est mentis operatio, quam quampiam attingimus, quin de ea quidquam five adfirmemus, five negemus. Veritatem huic posse convenire, nemo ibit inficias, nisi cui animus est litem de nomine mo-

vere

e) Epist. 59.

vere. Quid enim est veritas Ideæ, quam conformitas ejus cum objecto, cuius est Idea? Rem autem in se persæpe talem, qualis in idea repræsentatur, adeoque perceptionem objecto suo consentaneam esse, experientia ipsa edocemur. Illam quidem ne ipsi veritatem ideæ tribuimus, quæ soli judicio propria est, & cui falsitas rigide sumpta, sive Deception oppositur; cum rem solum percipiendo nihil ei addamus, nihil detrahamus, veritas autem judicii in eo consistat, ut, quod subjecto congruit, ei tribuatur, quod vero haud convenit, subtrahatur. Id tamen evincere nitimur, suam etiam Ideæ veritatem, cui nulla falsitas proprie dicta, sed ignorantia duntaxat adversatur, ita propriam esse, ut nulla prorsus perceptio sit, cui formalis falsitas conveniret. Evidem idea semper illi congruit, cuius est perceptio, & licet res objecta sensibus, ut in se ipsa est, sæpe non percipiatur, percipitur tamen res ut objecta menti, quæ sola est immediatum ipsius perceptionis objectum. Neque Mens objectum percipiendo formaliter falli potest; cum rei nihil detrahatur, quod tribuendum, nihil tribuat, quod ei detrahendum esset. Contingit etiam non raro, ut perceptio dissentiat ab objecto absolute in se accepto; at prout in certis adjunctis menti exhibetur, ei omnino conformem judicamus; cumstantibus iis

aliter, ac repræsentatur, nequeat exhiberi. Eleganter id explicat S. Augustinus f) inquiens: *Si quis remum frangi in aqua opinatur, & cum inde aufertur, integrari, non malum habet internuntium, sed malus est Judex. Nam ille pro sua natura non potuit aliter in aqua sentiri, nec aliter debuit. Si enim aliud est aëris, aliud aqua, justum est, ut aliter in aëre, aliter in aqua sentiatur.* Fatemur nihilominus, ideas non nunquam erroribus materiam, & occasionem suppeditare, ipsasque ob judicium subsequens, seu materialiter falsas dici posse. Dum enim ita comparati sumus, ut de re nobis objecta id semper adfirmemus, quod in ejus idea relucet, id negemus, quod in ipsius, perceptione nobis non occurrit, primum esti nos frequenter deceptum iri, & plura tributuros, dempturosve rebus, secus ac eorum naturæ conveniat.

PROPOSITIO IV.

Judicium est simplex mentis actus in an-
nitu, vel abnitu consistens.

Per Judicium ideas consentientes componimus, ac dissentientes removemus. Hoc ut ex ordine, ac rite fiat, opus est, ut ideæ tam attributi, quam subjecti non modo legitime

f) L. de vera Relig. c. 32.

time expendantur, verum etiam inter se mutuo comparentur, ne cœco velut impetu id adfirmemus de alio, quod ei dissentaneum est, id vero, quod ei reapſe convenit, imprudenter negemus. Idearum igitur habitudo menti reluceat, ejusque clara perceptio præcedat, est necesse, priusquam Judicium ſive adfirmativum, ſive negativum confequatur; quippe ſensus intimus nobis manifestat, mentis annutum, vel abnatum tum primum elici, poſtequam claram convenientium, vel diſconvenientium idearum cognitionem naſti ſumus. Hæc ſane concordantiae idearum, aut diſcrepantiae perceptio ab affirmatione, ac negatione omnino differt, ut adeo integrum nobis eſſe confeamus à querundam cum Cl. Antonio Genuensi aliter opinantium ſententia declinare, ac judicij naturam in annutu, vel abnuto mentis conſtituere. Actus vero hic omnino ſimplex eſt: quemadmodum & ipſa convenientiae, vel diſconvenientiae attributi cum ſubjecto habitudo ſimplicis objecti rationem complectitur; Unde à vero deflectunt, qui judicium ex ideis coaleſcere putant; equidem hæ ſoliuſ materiae rationem obtinent, circa quam iudicium unam idearum cum altera per adſirmationem componendo, aut alteram ab altera per negationem diſjungendo duntaxat ocupatur.

PROPOSITIO V.

Falluntur Cartesiani, dum Judicium à Voluntate, non ab Intellectu proficiuntur dicent.

Novum sane paradoxon proposuit Renatus des Cartes g) dum judicium actum esse Voluntatis asseveravit; sed cum sciamus teste Tullio h) *Nihil tam absurdum dici posse, quod non dicatur ab aliquo Philosophorum, mirum non est,* plures cum Cl. Purchotio in absconam hanc Cartesii opinionem abiisse. Labile vero fundamentum est, cui innituntur, dum Judicium eo ex capite voluntatis actum esse contendunt, quod nunquam non cum Voluntatis propensione, & aliquando libera etiam determinatione, seu electione fiat. Enimvero solum inde fluit, actum judicii causaliter duntaxat, non vero formaliter liberum, à voluntatis quidem arbitrio nonnunquam pendere, semper tamen ab Intellectu proficiuntur, qui potentia necessaria est, subordinata nihilo minus potentiae liberæ, à qua nimis ad agendum, vel non agendum d. terminari queat. Alius est actus, aliud utriusque potentiae objectum. Velle bonum, & nolle malum ad voluntatem spectat, sed adfirmatio veri falsi-
que

g) P. I. Princ. c. 32.

h) L. 2. de Div. c. 58.

que negatio character est judicii ad solam pertinens potentiam intellectivam. Cendum profecto, ne, dum judicium voluntati adscribitur, eidem quoque Fidei assensus vindicetur, quæ germana fuit Calvini sententia i) dicentis: *Affensionem fidei cordis potius esse, quam cerebri, & affectus magis, quam intelligentie contra illud D. Pauli k) Fide intelligimus, aptata esse saecula verbo Dei.* Verum placuit Cartesio, ut optime notat Cl. Leibnitzius, hanc adstruere thesim, qua consequenter argueret, rerum essentias, & prima veritatum principia liberæ Dei dispositioni subjacere; cum enim voluntatem ejus ad extra liberrimam statuerit, rerum veritates autem ad eandem pertinere dixerit, inde per legitimam consequentiam fluere arbitratus est, prima veritatum principia pro liberrimo ejus beneplacito, non secus ac rerum essentias pro libitu mutari potuisse, quod quam absurdum sit, ex Ontologia magis eluceat.

i) L. 3. Instit. c. 2. §. 8. k) Heb. 11. v. 2.

PROPOSITIO VI.

In Judiciis efformandis à vero sæpe deflectimus: igitur vitiis, quibus ea labefactari solent, per idoneum veritatis criterium, quod potissimum in regulis Logicalibus consistit, occurrendum est.

Tria potissimum sunt, quæ obicem nobis ponunt, ne recte, prout oportet, de rebus ipsis judicemus, præjudicia scilicet infantiae, mentis præcipitatio, & sermonis amphibologia. Cum lacte nutricis varios errores suxiimus, & ab unguiculis aniles fabulas, Poëtarum commenta, & falsitates plurimas edocti, ab iis etiam maturiores effecti ægre admodum recedimus juxta tritum illud Seneccæ 1) *Dedicit animus fero, quod didicit diu.* Augentur errores, cum præceps non raro de rebus arbitrium ferimus, quas vel non satis ad examen reducimus, vel prorsus ignoramus. In bivio constitutos ambigere pudet, atque dum in mediis inscitiæ tenebris versamur, ea tamen vanitas, & arrogantia nobis dominatur, ut nihil magis horreamus, quam ingenue fateri, nos quidquam ignorare: hinc quidquid in mentem venit, aut recipimus, aut

aut respuimus, antequam quid adfirmandum, quid negandum sit, deliberemus. Sermonis insuper, & vocum ambiguitas in errorem nos impellit, dum ad verba magis, quam ad res ipsas animum applicamus. Igitur nullus non movendus est lapis, ut hæc judiciorum nostrorum vitia penitus excutiantur. Præjudicia, quæ infantiae tempore hausimus, animus deponat, nihilque eorum, ceu verum admittat, nî ad rationis trutinam revocatum, riteque fuerit expensum. Ne simus ex eorum numero, quos sola hominis convincit auctoritas, *qui*que *sine ullo judicio*, ut ait Lactantius ^{m)} inventa majorum probant, & ab aliis pecundum more ducuntur. Id jam dudum Tullius ⁿ⁾ probare non poterat in Pythagoræis, qui, cum rationum pondere premerentur, nec effugii rima ipsis præsto esset, victoriam tamen sese adeptos jactitabant eo ipso, quod ad Magistri sui auctoritatem provocarent identidem clamantes: *Pythagoras dixit.* Unde Cartesius Aristotelem imitatus, qui, o) dubitationem ad capessendas disciplinas utilissimam esse adfirmavit, omnem a dubitatione inchoandam esse Philosophiam sapienter quidem statuit; Si nomine dubii methodici aliud non intellexit, quam judicii suspensionem in iis, de quibus evidentia principia non statim oc-

^{o)} B 5 cur-

^{m)} L. 2. Div. Instit. c. 8. ⁿ⁾ L. 1. de Nat. Deor. ^{o)} L. 3, Metaph. c. 1.

currunt: Ast si de omnibus omnino, & serio quidem nos jubeat dubitare, ut parte prima Principiorum videtur indicasse, dubium isthuc assumere nec possumus, nec audemus; obex enim magis est, quam adjumentum ad veritatem comparandam. Ecquis enim de primis principiis, quorum veritas ex ipsis terminis manifeste adparet, serio¹, prudenterque valeat dubitare? quis ambigere de iis audeat, quæ per fidem nobis innotescunt? Profecto hæc dubitandi methodus à Pyrrhonorum non differt deliriis, ut egregie ostendit Samuel Parckerus, qui Cartesium ea de causa Scepticis accensuit; tametsi Cl. Ant. Le Grand p) Magistrum suum inter Dogmaticos (Jurene, an secus? alii viderint) referre adnitatur. Aliud judiciorum nostrorum vitium Præcipitationem mentis esse commemoravimus: Quod effugere qui volet (inquit Tullius q)) omnes autem velle debent, adhibebit ad considerandas res & tempus, & diligentiam. Contraria contrariis curantur: Medicorum est effatum; neque proinde huic malo medebimur, nisi assensum nostrum in plerisque tantisper cohibentes ad ideas adcuratius attendamus. Cum vero sermo vel ambiguus, vel paulo obscurior videbitur, singulæ voces, quibus utimur, definiendæ erunt, idque ipsum ab iis, quibuscum res

p) Apal. pro Cartesio c. 2. q) L. I. de Offic.

nobis est, postulemus oportet. Varia insuper varii veritatis judiciorum dignoscendæ criteria constituerunt. Cl. Tschirnhausen r) Quidquid conceptibile est, verum: & quidquid concipi non potest, pro falso habendum esse pronunciavit: alii cum Cl. Cartesio veritatis criterium hac formula expreſſerunt: *Quidquid in idea rei clara, & distincta continetur, id ex vero de illa adfirmari potest.* At quemadmodum prius, si de ideis vere, ac proprie talibus, adeoque mere positivis sermo fit, haud sufficit; cum plurimæ ideæ veræ dentur, quæ patim positivæ, partim negativæ sunt: ita nec posterius pro completo, securō, atque generali veritatis criterio haberi potest; quia (ut rationes alias prætereamus) nusquam Cartesius docuit, quanam ratione idea quævis pro vera rei idea agnosci debeat, neque modum suppeditavit ideam deceptricem, quæ ipso auctore s) s̄epenumero nonnihil claritatis, & nitoris habet, ab aliis ideis veris discernendi. Fallitur adhuc magis Epicurus, dum *judicia rerum*, ut inquit Cicero t) in sensibus ponit. Nullum enim latet, quam frequenter hi occasionem erroris administrent, & admissa hac regula eventurum est nobis, quod ipsi accidit Epicuro, ut solem bipedalem esse dicere, quod tam exiguae molis in-

r) Medic. Ment. P. 2. Sect. I. s) P. 1. Princip. §. 45. & 50. t) L. I. de finibus.

intuentibus adpareret. Nobis proinde satius visum est, præcipuum veritatis inveniendæ criterium in regulis logicalibus, cujusmodi sunt Definitio, Divisio, & Ratiocinatio collocare; nam his mediis & occulta rerum veritas detegitur, & quæ cujusvis sit natura, quæ proprietates, quæ affectiones, dilucidius explanatur. Solæ porro hæ regulæ ad verum à falso discernendum sufficere non videntur, sed in subsidium ea quoque præcepta vocanda sunt, quæ de rationum selectu, de auctoritate sive Divina, sive humana, de communi omnium persuasione, de manifesta denique sensuum experientia ab iis collecta tenemus, qui scientiam recte cogitandi solerti, ac felicius excoluerunt.

PROPOSITIO VII.

Intellectus concessis Legitimi Syllogismi præmissis cogitur ad assensum Conclusionis necessitate tam Specificationis, quam Exercitii.

Discurrendi necessitatem induxit imbecillitas, & Intellectus humani virtus angustis admodum limitibus coarctata; cum enim simplici intuitu rerum veritates, & idearum quarumcunque habitudinem attingere non valeat.

valeamus, cogimur ignotæ rei scientiam ex cognitis emendicare; hinc discursum apposite definiit Cl. noster Fortunatus à Brixia, u)
 quod sit *Operatio finitæ mentis*, qua ex nota habitudine duarum idearum ad tertiam, cui illæ comparantur, earundem habitudo inter se, quæ antea ignorabatur, colligitur. Sicut autem ideas nostras per voces, Judicia per propositiones: ita discursum per varias argumentationum Species interpretamur; principem inter has tenet locum *Syllogismus*, qui tres terminos, totidemque propositiones complectitur ea lege inter se connexas, ut posterior è prioribus perinde, ac effectus ex sua causa sequatur. Neque proinde fieri potest, ut duo termini in præmissis cum tertio connexi sint, quin etiam inter se in conclusione conjungantur: neque contingere, ut Intellectus concessis legitimi Syllogismi præmissis conclusi ex iis deductæ sive dissentiat, sive non assentiatur. Evidem si de positivo dissensu loquamur, concors est Logicorum sententia, Intellectum necessitate contrarietatis, seu quoad speciem impelli ad inferendam conclusionem, posteaquam præmissas sive evidentes, sive probabiles admisit, adeo, ut oppositam inferre nequeat; quippe secus notissimis illis dissentiret principiis: *Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.*

Dictum

Diclum de omni, diclum de quolibet; idque simul in conclusione perfracte negaret, quod esse in præmissis adfirmavit; cum obvium, certumque sit Dialecticorum dogma, in una legitimi Syllogismi præmissa (altera interprestante) conclusionem contineri. Nulla in hoc difficultas; sed utrum intellectus datus boni Syllogismi præmissis etiam quoad exercitium, seu ita cogatur ad assensum conclusionis, ut ei non valeat non assentiri, in utramque partem disputari solet: id pauci quidam cum Raphaële de Aversa, & Eusebio Amort hac potissimum ratione pernegant, quod Intellectus Voluntati subjiciatur, à qua proin, ne vero etiam evidenter cognito quàtali assentiatur, impediri possit. Nos tamen, quidquid sentiant alii, cum torrente Logorum partem adfirmantem adoptamus. Motivo nobis est ipsa idea potentiae naturalis quæ positis omnibus ad agendum requisitis non potest otiosa consistere, seu non operari: quo-circa cum posito præmissarum legitimi Syllogismi assensu, in quarum altera conclusio ipsa virtualiter continetur, omnia præsto sint, quæ ad assentiendum conclusioni necessaria videntur, fieri non potest, ut Intellectus ceu Causa necessaria, & naturalis conclusioni ex præmissis jam concessis fluenti non assentia-tur. Id, quod opponunt, nihil nobis negotii facest; Nam tametsi intellectus in

iis, quæ obscure cognita sunt, etiam quoad exercitium pareat imperio voluntatis, eoque se vertat, quo hæc ipsum inflectit; ab ejus quoque arbitrio in tantum pendeat, ut unum præ altero objectum consideret, aut eo reliquo aliud expendendum assumat; postquam tamen objectum sibi rite præsens, ejusque veritatem manifeste cognovit, prohiberi à Voluntate nequit, ne verum esse judicet, quod verum esse intellexit. Liberum nobis est ambulare; ast in sensu composito, cum ambulamus, non possumus non ambulare: ita pene integrum remanet intellectui ex imperio Voluntatis hoc, aliudve objectum expendere, ipfisque præmissis *vel assentiri, vel assensum suspendere;* verum data hypothesi, quod præmissis licet inevidentibus assensum præstiterit, necesse est, ut ipsi etiam conclusiō assentiatur, quæ in una præmissarum contenta, & concessa fuit.

PROPOSITIO VIII.

Conclusio semper præmissarum partem debilorem sequitur.

Enīvero, nisi Conclusio partem præmissarum debilorem sequeretur, major, & firmior foret connexio duorum inter se, quam fuerit connexio duorum cum tertio: adeo,

que

que conclusio tamquam effectus moralis præmissas ceu adæquatam suam causam perfectione superaret, quod tum Causæ, cum Effectus notioni manifeste repugnat.

PROPOSITIO IX.

Neque Scientia cum Opinione, neque cum actu Fidei de ulla potentia in eodem Intellectu circa idem objectum simul consistere possunt.

Tam aperta est propositionis hujus veritas, ut siue de Scientia in consortio opinio- nis siue cum actu fidei comparata differamus, nobis ne minimus quidem de ea dubitandi locus relinquatur. *Per spicium est,* ait Aristoteles x) fieri non posse, ut eandem rem simul opinetur quispiam, & sciat; alioquin existimat eandem rem aliter se habere posse, & non aliter se habere posse, quod fieri nequit. Est Opinio assensus quidem determinatus, sed quem semper formido de altera contradictionis parte comitetur; innititur enim principiis duntaxat probabilibus, adeo, ut in hujusmodi assensu ex æquo falli possimus, mentisque metuamus, ne res ipsa aliter se habeat, ac menti relucet. At Scientia, verba sunt

S. Aug.

S. Aug. y) *Non solum comprehensis, sed ita comprehensis rebus constat, ut neque in ea quisquam errare, nec quibuslibet adversitatibus impulsus nutare debeat.* Idcirco non minus repugnat, ut Scientia, & Opinio in eodem Intellectu circa idem objectum formale simul componantur, ac impossibile est, ut Intellectus circa idem objectum assensum simul, atque dissensum eliciat. Quod quidem adeo verum est, ut neque actum opinionis cum actuallī formidine junctum, neque opinionem radicaliter solum formidanter cum actu Scientiæ circa idem objectum formale in eodem Intellectu simul consistere posse arbitremur. Enimvero negligit Intellectus quascunque rationes probabiles, nec ab iis movertur, dum certam, & evidenter objecti cognitionem habet, vimque medii demonstrativi, & extremorum necessariam connexionem rite percipit. Eleganter id declarat Doctor subtilis z) inquiens: *Cum inducuntur medium probabile, & demonstrativum ad eandem conclusionem, si bene percipiatur vis medii demonstrativi, nullum assensum generat aliud medium dialecticum impeditum a demonstrativo velut causa fortiori, & longe efficacius suadente, & convincente: unde Intellectus non movetur, imo si-*

y) Lib. I, de Acad. c. 7. z) 3. Dist. 24. Q. un.

moveretur, negligeret medium dialecticum; ut si quis ad aliquod objectivum videndum posset uti lumine Solis, utique negligeret exiguae candelæ lumen. Non abs ratione prætendit Doctor, ut Vis medii demonstrativi bene percipiatur; equidem cum medium illud valde sit absconditum, nec facile vis ejus attingatur, usu venire solet, ut, etsi demonstratio suppetat, conclusio tamen mediis probabilibus suadeatur, auctoritatibus, atque testimoniis firmetur, tandemque apodictice demonstretur. In quo casu medium dialecticum præcedens dispositionis instar est ad formandam demonstrationem; hac vero rite percepta, medii dialectici, quod in Intellectu materialiter remanet, vis movendi penitus enervatur; juxta illud Scoti a) *Si aliquis habeat primo opinionem de aliquo, & superveniat demonstratio, corumpitur opinio.* Quod vero neque Scientia cum fide in eodem subjecto circa idem conciliari queat, vel sola convincit ratio, quam laudatus Doctor subtilis b) allegat inquiens: *De creditis revelatis non potest Visitor habere scientiam proprie dictam de iisdem, quod patet primo ex parte revelatorum; quia cum fide non potest stare apprehensio terminorum in particulari distincta; quia tunc non essent credibilia; secundo patet ex parte impossibilitatis habituum; nam ad scientiam proprie dictam requiritur*

a) 3. Dist. 24. Q. un. §. ad Arg. princ. b) Loc. cit.

ritur evidētia objēcti, evidētia autem objēcti repugnat fidei, quæ est de non visis. Scientia claritatem, & nitorem: Fides obscuritatem objecti intrinsece sibi connexam habet. Credimus, ut cognoscamus, ait S. Aug. c) non cognoscimus, ut credamus; Fides est, quod non vides, credere; veritas, quod credidisti, videre.

EX ONTOLOGIA.

PROPOSITIO I.

Ens reale univoce convenit Deo, rebusque creatis; cum admixta tamen analogia attributionis.

A Logica ad primam Metaphysicæ partem, quæ pro objecto Ens reale sibi vendicat, & eapropter Ontologia dicitur, festinamus, Porro entis realis nomine juxta Scotum d) illud intelligimus, *Quod habet, vel habere potest entitatem extra animam.* Hujus notio, cum Deo, rebusque creatis ex æquo conveniat, non est, cur ipsum Ens reale utrique univocum esse inficiemur. Quippe de ratione univorum est, ut in univocatis idem nomen, eademque ratio

C 2 sub-

c) L. de Vera Innoc. c. 350. d) Q. 3.
Quodlib.

substantiæ per nomen significata reperiatur. Confirmat id lex apud Logicos pervulgata, qua univoca duntaxat idonea censentur sive ad inferendam Contradictionem, sive ad obeundas medii vices in Syllogismo, quod utrumque præstat Ens reale ad Deum, resque creatas comparatum. Receptam hanc in Schola subtili opinionem amplexi, in eorum tamen neutquam sententiam abimus, qui partibus nostri Francisci Mayronii adhærentes ab univocatione Entis ad Deum, & Creaturas omnem prorsus analogiam exclusere; Neque enim (ut phrasi Scholastica loquamur) Ens reale secundum eundem essendi modum, nec eodem ordine, nec secundum parem perfectionis gradum ad Deum, resque creatas descendit; Deus est Ens per essentiam juxta illud *e*), *Ego sum, qui sum*. Seu ut vertunt septuaginta: *Eγο ει μιο ἦν. Ego sum ipse Ens*. **Creatura** est Ens per participationem; Ille Ens infinitum est, & in omni genere perfectissimum: hæc Ens finitum, & omni ex parte limitibus circumclusum. Itaque nomen, solamque notionem Entis universalissimam Deo, rebusque creatis communem, & univocam esse sustinemus; circa particulares autem rationes eorum ita philosophandum est, ut Deum, & Creaturam in iis tamquam duas res primo diversas, quæ nihil positivæ realitatis

litatis habeant, in qua reapse convenire dicantur, contemplemur juxta illud Issajæ f.)
*Omnes gentes quasi non sunt, sic sunt coram eo,
& quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei.*

PROPOSITIO II.

*Inter gradus Entis metaphysicos datur in
creatis Distinctio Formalis ex natu-
ra rei.*

Famosum hoc distinctionis genus primus omnium in Scholas invexit Ven. Joannes Dominus Scotus Doctor subtilis; tametsi quidam velint, istud jam antea ab Henrico Gandavensi, seu Bonicollio subobscure fuisse insinuatum. Adverterat nempe Scotus pro eo, quo pollebat, ingenii acumine, dari tam in creatis, quam in Divinis attributa quædam, inter quæ nec formalis identitas, nec realis distinctio poni deberet; hinc aliam adinvenit, quæ nec rerum esset, nec nostræ mentis figmentum, atque Distinctio formalis ex natura rei, sive realis minor adpellaretur. Mirum vero, quantas hæc distinctio turbas in Republica litteraria excitârit! Plurimos doctrinæ novitas impulit, ut rationibus in unum congestis eam convellere niterentur, at eo successu, ut eorum nonnulli ve-

C 3

ritati

(f c. 14.

ritati cederent, & in eam, quam laceſſere aggressi ſunt, ſententiam poſtliminio cum Cl. Antonio Genuensi abirent. Alii ſive ad conſlandam Scoto, Scholæque ſubtili invidiam, ſive quod corticem duntaxat, non vero me dullam ſenſus intenti examinârint, multis cum ſcommatibus celebrem hanc diſtinctionem exſibilaverunt. Atque ut Marſili Ficini, Molinæ, Arrubalis, Bannezii, Caramuelis diſteria taceamus; Vasquez, Tournelii, Witaffe &c. diſtinctionem formalem à Scoto inter Eſſentiam, & Personalitates Diuinæ, inter Eſſentiam & attributa, atque inter hæc ipſa conſtitutam jam cum errore Joachimi Abbatis, jam cum Sententia Græcorum in Conc. Flor. ſub Eug. IV. damnata, jam cum opinione Gilberti Porretani in Conc. Rhe menſi proſcripta confundunt, & virtualiter condennatam fuiffe perperam prætendunt. Senferat idipſum Natalis Alexander, cujuſ verba recitat Cl. P. Bruno Parode. g) Verum pace tantorum virorum dicere nobis liceat, ipſos & præpropere ſupercilium ere xiffe, & in ferenda hac censura vehementer fuiffe hallucinatos. Sane Scotum, ejusque ſententias censorio ſtigmate nulla unquam no tavit Synodus, ut in Apparatu ſuo teſtatur P. Ant. Posſevinus S. J. & Juffu Pauli V.

S. Card.

g) Adnot. ad Hift. Eccl. Claudii Fleury 1. 69.
ſ. 32.

S. Card. Congregatio, ut referunt P. Hugo Cavellus ^{h)} & P. Lucas Waddingus ⁱ⁾ Solemni decreto sanxit, ut, quidquid esset Scotti, intactum à Censoribus permitteretur, quod factum oppido non fuisset, si ejus de Distinctione sententia cum Græcorum, Joachimi, aut Gilberti erroribus conveniret. Quidquid tamen de hoc argumento sit, ad nostrum haud pertinet Institutum inquirere, anne hæc distinctio formalis in Divinis detur? Theologi magni nominis è Schola subtili hoc jam dudum evicere, neque defunt, qui Scottum ab impactis calumniis abunde vindicarunt. Persuasum nobis duntaxat habemus, eam in creatis negari haud posse. Ad asserendum hoc nos impellit inevitabilis contraditio, quæ ea negata consequeretur. Enimvero de una ejusdem rei formalitate citra omne mentis figmentum quidpiam affirmatur, quod de altera cum veritate negamus. Exemplo id satis vulgari declaramus: Nullo Philosophorum refragante Animalitas in homine est principium sentiendi, Rationalitas non est principium sentiendi: Iterum Rationalitas principium est discurrendi, Animalitas e converso non est principium discurrendi &c. Quodsi jam Animalitas, & Rationalitas eadem formaliter indi-

C 4

stincta

^{h)} In vita Scotti c. 1. ⁱ⁾ Tom. 3. Annal. Relig. in Vita Scotti.

stincta realitas foret, idem simul de eodem & adfirmari, & negari posset, quod solemni, & vulgato illi principio repugnat: *Impossible est idem simul esse, & non esse.* Igitur hujus contradictionis tollendæ gratia, cui neque distinctio virtualis, seu rationis ratiocinatæ, minus altera, quam Recentiores distinctionem appellant rationis ratiocinantis, sufficere videtur, distinctionem ex natura rei formalem omnino necessariam esse judicamus. Ipsa sane compositio metaphysica, ipfa graduum prædicamentalium in quovis individuo realis, non ficta pluralitas, quorum alii magis, alii minus communes sunt, & seorsim quivis perfecte, ac adæquate concipi valet, quin alter in eodem conceptu reluceat, fundamentum nobis haud vulgare suppeditant distinctionem quamdam, quæ reali minor sit, virtuali major, inter gradus metaphysicos afferendi. Nec innumera fere alia rationum momenta desunt, quibus celebre hoc, totque Sæculis inconcussum distinctionis genus, si opus foret, propugnaturi essemus.

PROPOSITIO III.

Essentiae rerum immutabiles, ac æternæ sunt.

Negavit hanc veritatem Cartesius, cum docuit, efficere Deum posse, ut prædicata repugnantia vera simul esse queant. *Hanc Doctoris sui sententiam*, loquimur cum Cl. Petro Daniele Huetio Episc. Abrinc. k) abnormem licet, & deliram agnovere vetustiores Cartesiani, & deseruere quidam, plures defendere (inter quos non ultimum tenet locum Antonius le Grand, qui hoc paradoxon l) ex professo tuetur) recentiores velut falso ipsi afflictam ab eo abjudicavere. Nempe puduit eos ineptiae hujus: in re aperta veritati repugnare non puduit; cum Cartesium id sensisse negarunt, quod pluribus locis m) clarissime traditum ab eo est. At quam enormiter hoc dogmate constituto à vero deviārit, non est, cur multis ostendamus; cœcum arbitrabimur, qui dicti falsitatem non pervideat. Si Deus essentias rerum invertere valeret, procul dubio efficere posset, ut prima quoque certæ cognitio-
nis principia, quæ verissima, & evidentissima sunt, falsa evaderent, & obscura; quo da-

C 5

to

k) Cens. Phil. Cartes. c. 1. n. 6. l) Institut. Philosoph. P. 2. c. 6. m) Epist. ad Henr. Morum. Item Med. 6. Resp. ad 6. Object. Tom. I. epist. 110.

to omnis tum Fidei Divinæ certitudo , cùm Scientiæ evidentia, ut paululum attendenti patet, exularet. Nihil præterea magis absonum est, quam comminisci , rem ab essentia sua realiter esse discretam , quod ex admissso Cartesii dogmate fieri posset. Vel enim , cum Deus rei cuiuspiam essentiam immutaret, res illa cum priori essentia sua maneret, vel secus; si ita: ergo essentia haud mutaretur. Si non: res igitur ab essentia sua realiter distingueretur; quod enim signum evidentius distinctionis realis, quam separatio ? Ajunt quidem nonnulli Patres , Deum omnia posse, etiam quæ impossibilia sunt; at sensus eorum infinitis fere parasangis à sensu Cartesii distat. Volunt ii, infinitam Dei virtutem non esse juxta imbecilitatem nostræ mentis dimetiendam ; cum plura facere possit , quam nos concipere valeamus; sed nuspian afferunt , Deum ea perficere posse , quæ ex intrinseca sua ratione repugnant: imo ex eo, quod hæc facere nequeat, omnipotentem Dei virtutem probant. *Multa non potest Deus, & omnipotens est,* ait S. Aug. n) *& ideo omnipotens est; quia ista non potest.* Rem totam declarat Hugo à S. Victore o) inquiens - *Summe potens est, qui potest omne, quod possibile est; nec ideo minus potest; quia impossibilia non potest, quia impossibilia posse, non*

n) De Symb. c. i. o) L. i. de Sacr. Fidei P. i.
C. 22.

non esset posse, sed non posse. Itaque omnia potest Deus, quæ posse potentia est; & ideo vere omnipotens est; quia impotens esse non potest.

PROPOSITIO IV.

Creaturæ nullum esse reale actuale essentiæ habuerunt ab æterno.

Hoc enim si creaturis concedamus, jam nihil supereft, quam ut cum Democrito, aliisque ejusdem furfuris hominibus creandi potestatem, & annihilandi vim Deo abjudicemus; Evidet cum Creatio sit Productio Entis à non esse simpliciter ad esse simpliciter, & Annihilationis nomine veniet Reductio Entis ab esse simpliciter ad non esse simpliciter; jam res nulla è nihilo sui emergere, nulla in sui nihilum redire posset; semper enim illud esse reale actuale essentiæ præsto effet, à quo ad esse temporaneum transiret, & in quod ultimo tandem reverteretur. Minime quidem nos fugit ratio, quæ Henricum Gandavensem, & Aegydiū Romanū impulit, ut exoticam hanc thesin propugnarent; enimvero putarunt hi, intelligi haud posse, qui Creaturæ ex omni æternitate dici valeant objecta Divinæ Scientiæ, quam *simplicis intelligentiæ* vocant Theologi, nisi eisdem aliquod esse reale actuale essentiæ, quod fundamentum foret

relationis ad Intellectum Divinum, ab æterno tribuatur. Sed numquid Deus etiam existentiam rerum æque, ac earum essentiam cognovit ab æterno? eccur ergo nullum esse reale actuale existentiæ ab æterno conceditur creaturis? quemadmodum igitur creaturis nullum esse reale actuale existentiæ ab æterno tribuitur, et si Deus earum existentiam per scientiam visionis cognoscat: ita quoque, licet per scientiam simplicis Intelligentiæ rerum essentias intelligat, dicendum haud est, ipsas ullum esse reale actuale essentiæ ab æterno obtainere. Ruit etiam hic, quidquid aliqui cum Poncio de esse diminuto commenti sunt, quod medium statuerunt inter esse reale, & esse rationis, quin tamen ab operatione Intellectus Divini dependeret. Nam præterquam, quod inter esse reale, & esse rationis, quæ in rationibus formalibus sibi contradicunt, nullum prorsus medium admitti queat, opinio hæc (nî rite explicetur) haud multum discrepare videtur ab errore Joannis Wicleff, qui teste Thoma Waldensi p) creaturis ab æterno quoddam esse attribuit, quod distinctum foret ab esse Dei. Eapropter saniorem tam Philosophorum, quam Theologorum sententiam amplectimur, rebūsque creatis meram ab æterno possibilitatem vendicamus; quas quidem Deus ab æterno non cognoscit in se-
ipfis,

p) L. I, Doctrinæ fidei antiqu. c. 8.

ipfis, ceu habentes aliquod esse reale, quo
Divinum movere Intellectum, ejusque actum
primario terminare possent; sed eas in essen-
tia sua tamquam in objecto motivo, & pri-
mario (possibilia quæque repræsentante) intel-
ligit, ipsasque concipit, in seipfis actu nihil
esse, & solum aliquid esse posse: hinc secun-
dum esse possibile solum relationem fundant
cogniti ad cognoscentem, & instar objecti se-
cundarii Divinam terminant cognitionem.

PROPOSITIO V.

Creaturæ Logicam possibilitatem formaliter habent ex se.

Eam à Sola Creatoris potentia répetendam
esse censuit noster Gulielmus Ocham
Scholæ Nominalium Princeps cum nonnullis,
existimans, rem ea de causa possibilem
dici, quod à potentia quadam produci pos-
sit, nec posse rem ut producibilem concipi,
nisi prius potentia productiva concipiatur.
Verum hæc differendi ratio possibilitatem
objectivam, extrinsecam, & physicam cum
possibilitate Logica, & intrinseca confundit,
quæ juxta Scotum q) absolute ratione sui
stare potest, licet per impossibile à nulla po-
tentia respiceretur. Sane priusquam res

ab

ab agente quopiam produci valeat, possibilis concipiatur, est necesse. Quæ enim ratio, quod homo à Deo produci queat, non item Circulus quadratus, quam quod huic ex sua ratione formaliter existere repugnet, non item illi? Timuit scilicet Ocham, ne si Creaturis aliquod esse possibile independenter ab Omnipotentia Dei concederetur, hæc à rebus creatis dependeret; sed, *incidit in Scyllam cupiens vitare charybdim*, Deumque hac differendi methodo impotentem reddidit; cum ratio, cur Circulum quadratum, aliamve Chimæram producere nequeat, non aliunde, quam à defectu omnipotentiæ Dei Secundum ejus principia peteretur. Nos igitur Doctoris Angelici, & Subtilis, post quos pleno agmine abeunt Recentiores, doctrinam secuti, Logicam creaturarum possibilitatem à rebus ipsis formaliter, ac intrinsece, seu ab intrinseca non repugnantia prædicatorum derivandam esse arbitramur. Hæc possilitas in Sensu generalissimo accepta, non secus ac ratio entis Deo, rebusque creatis ex æquo convenire dignoscitur; cum & ab his, & ab illo repugnantia prædicatorum ad existendum absit. Ast si pressius, & proprie loquamur, magnum inter logicam Dei, & creaturarum possibilitatem discrimen reprehendemus, quemadmodum & supra de Entis analogia notatum reliquimus. Evidem
Deo

Deo possibilitas convenit à se; ut adeo nunquam concipi potuerit in potentia ad existendum, sed actu semper existens. Hoc tamen loquendi modo dicta non repugnantia ad existendum non tollitur, sed firmatur; nam quod semper intelligitur existere, semper intelligitur non repugnare. Creatura vero Logicam possibilitatem ex sese formaliter habet, non à se; in quocunque enim statu reapse confideretur, nunquam non primo diversa est a Deo, à quo proinde, cum conceptum creaturæ semper præseferat, secundum omne suum esse constanter pendent. Neque inde, quod Creaturæ logicam possilitatem, seu illam non repugnantiam prædicatorum ex sese formaliter, & intrinsece habeant, inferat quis, Deum destitui virtute sufficiente producendi creaturas, cum ex earum parte logicam requirat possilitatem: hæc enim Omnipotentiæ Dei nihil virtutis addit, neque complementum ejus ullo pacto dici potest; sed mera est aptitudo, ut a Deo, cui nihil factu impossibile est, nisi quod repugnantiam involvit, in rerum natura poni queant. Addendum postremo logicam hanc Creaturarum possilitatem extrinsece, ac principiatively ab Intellectu Divino earum prædicata non repugnantia cognoscente, ac connectente derivari; sub quo respectu possilitatem logicam accepit Doctor subtilis, dum eam *Modum compositionis formatæ ab Intellectu*

*telleſtu, illius, cuius termini non includunt con-
tradicitionem, appellavit,*

PROPOSITIO VI.

*Omnis natura creata singularis realiter di-
ſtinguitur à ſubſtentia, vel Personaliti-
tate, quam ipſi ſuperaddit ſuppoſitum,
vel Persona.*

Subſtentia ultimum velut complementum
eft Naturæ ſubſtantialis, vi cuius hæc alte-
ri tamquam ſuppoſito tum *ut quo*, id eft, ceu
Pars ſuo toti, ſuſtentanti, aut perfectibili,
tum *ut quod*, ſive ceu ſuperius ſuo inferiori
incommunicabilis evadit. Incommunicabili-
tas hæc formalis eft effectus ſubſtentiae, ut
adeo natura ſubſtens nec actu, nec aptitu-
dine alteri ſuppoſito communicatingari queat; licet
communicabilitas, ut vocant, potentialis ei-
dem non repugnet. Quocirca ſubſtentiam
bene definiuit Richardus r) eſſe *Intellectualis*
Naturæ incommunicabilem existentiam. Ubi ſub-
ſtentiam quidem ad naturam intellectualē
reſtrīgit, quæ tamen ex æquo ſubſtantialem
quamvis naturam compleat. Enim vero ſubſ-
tentia, Personalitas, ſive hypostasis, & ſu-
poſitalitas non reaſe, ſed pro naturarum, quas
afficiunt, varietate discriminantur; ut adeo
ſub-

r) L. 4. de Trin. c. 22.

subsistentia relata ad naturam intellectualem personalitas, comparata vero ad naturam non intellectualem suppositalitas appelletur. Veteribus ante salutem reparatam nulla fuit subsistentiæ notio; at posteaquam peracta Verbi Divini Incarnatio uberiorem de ea disputandi campum aperuisset, ex illegitimo ejus conceptu, atque confusione cum Natura varii, & horrendi errores promanarunt. Hos evitaturi Naturam à supposito in creatis realiter esse discretam propugnamus. Si enim secundum diversum duntaxat intelligendi modum distinguerentur, Verbum Divinum non minus Personam, quam naturam humanam assumpsisset; nam quid manifestius, quam ea separari ab invicem haud posse, quæ eadem sunt re ipsa, solaque ratione juxta varium intelligendi modum secernuntur? Hoc autem ipsum est, quod afferuit Nestorius, dum duas Christo Personas unam Divinam, Humanam alteram ad finxit; uti refert Jo. Cabassutius s). In quam hæresin teste Boëtio, cuius auctoritatem allegat S. Thomas t) non alia de causa lapsus est Nestorius, quam *quia credidit, idem esse Personam, & Naturam*. Eodem pene modo de hæreticis sui temporis sentiunt S. Joan. Damascenus u) S. Vigilius Tridentinus

s) Notit. Concil. de Syn. Ephes. Oecum. t) 3.
Dist. 5. Q. 1. Art. 3. u) L. 3. de Fide Orthod.c.3.

nus x) S. Epiphanius y) cuius hæc sunt verba: *Ideo hæretici errant; quia nihil aliud agunt, quam ut ostendant, Naturam, & hypostasin idem esse, quæ sane inter se differre veri Ecclesiæ Catholicæ alumni cognoscunt.* Itaque ne vel lato ungue à veris Ecclesiæ filiis recedere, vel cum perdita hæreticorum turba sentire videamur, dicendum omnino est, Personam & naturam idem non esse, sed veluti duo realiter distincta considerari oportere, quorum unum ab altero separari queat.

PROPOSITIO VII.

Subsistentia creata ultra existentiam nihil addit, nisi negationem duplicis dependentiæ. z)

Quamquam opposita Thomistarum opinio salve Religione defendi queat, hæc tamen, quam statuimus, sententia longe expeditior nobis visa est ad explicandum ea, quæ Fides Orthodoxa circa ineffabile Incarnationis mysterium docet. Enimvero si subsistentia creata quidpiam positivi foret, ea non fecus, ac Natura humana à Verbo assumi potuisset; cum juxta Scotum nulla sit entitas positi-

x) Contra Eutichen. y) In 6. Syn. Act. 6, Tom. 3. circa fin. z) Scotus 3. Dist. 6. Q. 1. §. contra rationes.

sitiva, quæ non foret in potentia, ut ajunt, obedientiali, ut à Verbo assumatur. Imo quid vetat, quo minus eam, si in positivo statuatur, à Verbo reapse assumptam dicamus? Qualis enim tum subsistentiam creatam inter, & Verbi personalitatem oppositio? Non contraria; hæc enim solum inter qualitates reputatur. Non contradictoria, non privativa; cum hæc inter extrema utrinque positiva non intercedat. Num relativa forte? at etsi personalitas Verbi relativa sit; id tamen de Personalitate creata à nemine dici posse existimamus. Manet ergo, subsistentiam creatam, si ultra existentiam positivi quidpiam addere supponatur, non modo assumi potuisse, verum etiam à Verbo Divino reapse assumptam fuisse, quod Fidei Orthodoxæ manifeste refragatur. Videamus autem, quam apte sententia nostra cum doctrina fidei cohæreat: Subsistentia creata, cum in negatione dependentiæ ad personalitatem Divinam consistat, huic contradictione opponitur, adeoque cum ea de nulla potentia in natura creata componi valet; equidem Forma, ejusque negatio ita sibi adversantur, ut nulla ratione simul consistere queant; neque fieri potest, ut creata hypostasis sine natura existat; cum nulla negatio à quocunque subjecto separari possit, nisi per oppositam Formam auferatur. Sed quid? nonne omne negativum quidpiam po-

sitivi, in quo fundetur, præsupponit? Verum id quidem est in eo casu, quo negatio ita rei cuiquam ab intrinseco competit, ut ei simpliciter id repugnet, quod tali negationi opponitur; falsum autem hoc esse dicimus tum, cum res sua carere negatione potest, & habere id, quod tali negationi adversatur; uti se res habet in proposito, ubi natura sua destitui subsistentia, & ab alieno valet supposito dependere.

EX AETIOLOGIA.

PROPOSITIO I.

Causæ secundæ non sunt mere Occasionales, sed effectuum suorum vere effectrices.

Communis hæc semper erat non minus Philosophorum, quam cœterorum hominum persuasio, quæ proinde Lex naturæ putanda est, Creaturis vim quamdam à causa prima inditam esse, qua vere agant, suosque effectus revera producant; sed fuerunt Veterum nonnulli teste B. Alberto M. a) & hodie Cartesiani passim eisdem assentiuntur, dictantes, nihil in rerum natura ab entibus creatis reapse effici, sed ad eorum præsentiam Deum effectus quosvis juxta leges generales à se constitutas operari; quare Creaturas me-

ras

ras esse causas Occasionalis, non effectrices autumant, atque dum Vocabulum causæ retinent, significationem ejus, & vim nominis inficiantur. Nemo tamen ex omnibus Cartesii discipulis hanc Causarum occasionalium hypothesin & acrius defendit, & in ejus elucidatione longius processit, quam P. Nicolaus Malebranche Presbyter Oratorii Gallus, qui animam ipsam non secus ac Corpus omni agendi virtute destituit, & quovis stipite inertiorum effecit; En verba ejus b) apud Cl. P. Fortunatum à Brixia c) latinè redditæ: *Non modo corpora non possunt esse veræ causæ ullius rei, mentes etiam nobis iissimæ in eadem versantur impotentia. Nihil possunt cognoscere, nisi Deus ipsas illuminet. Nihil possunt sentire, nisi Deus ipsas modificet. Nihil possunt velle, nisi Deus ipsas versus se moveat Igitur concludendum est, homines quidem velle moveare brachium, sed Deum solum posse, & nosse illud moveare.* Hæc vero Cartesianorum sensa (ut nihil jam de Opinatione Malebranchii dicamus, quæ in Conc. Trid. d) illis verbis jam antea proscripta fuisse videtur - *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathe-*

D 3 ma

- b) La recherche de la Verité L. 6. p. 2. Ch. 3.
c) P. 2. Metaph. Sect. 2. N. 153. d) Sess. 6. c. 3.

ma sit) hæc, inquam, Cartesianorum sensa universali omnium persuasiōni, ut indicavimus, & constanti Naturæ legi aperte contradicunt. Quis enim mortalium, si Cartesianos, & paucissimos quosdam excipiāmus, qui deceptrices ideas suas, quam communem naturæ sensum sequi malunt, quis mortalium unquam dubitavit, homines, cum ambulant, ædificia construunt, & alia artium opera molliuntur: Canes, cum feram insequuntur; Lupos, cum gregem infestant; pilas plumbeas è tormentis excussas, cum mœnia sternunt, urbesque subvertunt &c. revera agere, & operari? Constans præterea Naturæ lex esse dignoscitur, ut effectus ii, quos experimur, nunquam non causis, à quibus procedunt, proportione servata respondeant, e. g., ut ictus lapidis, quo feritur homo, perpetuo & lapidis ferientis massæ, & celeritati commensuretur. Quæ autem legis hujus ratio reddi posset, si causæ secundæ omni vi activa destitutæ sint, & ad earum præsentiam omnia hæc à solo Reo efficiantur? Quæ ratio, quod ad præsentiam majoris sive massæ sive celeritatis minor ictus non consequatur, & vicissim? Tandem quid apertius est, quam quod in causarum occasionalium hypothesi Philosophia definat esse causarum per effectus, & effectuum per causas investigatrix? Quæ cum ita se habeant, jure ab improbanda hac Cartesiano-

norum opinione recedentes arbitramur, entibus creatis veram agendi, sūosque effectus producendi virtutem non nisi cum temeritate, & absque omni prorsus fundamento tolli.

PROPOSITIO II.

*Causæ secundæ tamen nusquam crearunt,
nec Virtus creatrix ullo pacto eisdem
convenire potest.*

*C*ausas secundas nullum unquam effectum ex nihilo sui & subjecti produxisse; satis aperte tum ē Scripturarum oraculis, cum ex Ecclesiæ definitionibus edocemur. Illæ enim e) ita testantur: *Qui vivit in æternum, creavit omnia;* & f) *Qui omnia creavit, Deus est,* Hæc vero in Conc. Nycæno, & Lateranensi g) errorem eorum, qui contrarium sensere, condemnavit. Ruit ergo infamis error Simonis Magi, qui mundum ab Angelis-creatuum, Angelos autem à Deo ex complexu Helenæ cuiusdam fuisse prognatos effutire non erubuit. Ruit etiam error Cerinthi, & Avicennæ Arabis opinantium, à prima intelligentia secundum, à secunda tertiam, & sic deinceps, ab ultima tandem universam adspectabilis Mundi compagem fuisse creatam. Major in eo difficultas est; Virtusne creatrix causis se-

D 4

) Eccl. 18. f) ad Heb. c. 3. g) cap. Firmiter.
de summa Trin.

cundis attribui possit, tametsi nullum usquam effectum procrearint? Scholarum Primates, ut S. Bonaventura, D. Thomas, Scotus, Ocham, Aureolus &c. id negant; adfirmant nonnulli cum Durando Episcopo Mimatensi. Saniorem amplexi partem Creaturis neque ut Causis principalibus, neque ut Instrumentalibus convenire posse virtutem creatricem opinamur. Atque ut a priori parte initium ducatur, ad commonstrandam ejus veritatem argumento nobis est ipsa imbecillitas Creaturæ. Productio rei ex nihilo sui, & subjecti virtutem arguit infinitam; nam in causis præcisis, & adæquatis alicujus effectus, quemadmodum adfirmatio est causa adffirmationis: ita negatio est causa negationis; causa vero præcisa, & adæquata agendi cum dependentia a subjecto est finitas Creaturæ, ob quam eminenter continere non potest causalitatem causæ materialis: igitur causa præcisa, & adæquata agendi sine dependentia a subjecto est Infinitas Dei, propter quam (cum nulla causalitatum sphæra constringatur) in genere causæ efficientis concursum supplere valet causæ materialis: idcirco, quia Creaturæ, de cujus ratione intrinseca est Finitas, Virtus infinita nullo modo convenire potest, illa neque vim ullo pacto fortiri valet, ut veluti Causa Princps effectum aliquem ex nihilo sui, & subjecti

jecti producat. *Creatio est naturæ magnifica operatio*, ait S. Cyrillus h) & ultra mensuram creare. Et S. Augustinus i) concludit *Angelum tam non posse quamvis rem creare, quam neque seipsum*. Neque porro minor est repugnantia, ut Creatura tamquam Instrumentum obedientiale elevari queat ad creandum; quippe si ita elevari posset, virtutem utique inchoatam haberet, vi cuius solis naturæ viribus actionem poneret, quam inter, & Creationem proportio versaretur; at sane proportio nulla, imo verius oppositio maxima datur inter actionem creativam a subjecto independentem, & actionem creaturæ, quæ, cum limitata sit, a subjecto perpetuo dependet. Præterea si Creatura velut Instrumentum ad creandum effectum elevaretur, ea vel immediate terminum creationis attingere, vel dispositionem saltem aliquam ad creandum effectum ponere deberet; neutrum porro dici valet; tum quod Creatio, seu Productio Entis ex nihilo sui, & subjecti nullam prorsus subjecti dispositiōnem requirat; tum quod instrumentum causæ Principi serviat Solum ad producendum effectum, eumque virtute propria immediate haud attingat: fluit inde, quod thesis loco posuimus, causis secundis nullatenus concedi

D 5

posse,

b) L. 2. contra Julian. i) L. 9. de Gen. ad Lit.

posse, sive ut creare rem quampiam valeant tamquam causæ principales, sive tamquam instrumentales. Noverunt id optime Patres Conc. Nycæni, qui ut perversum Arii dogma convellerent, Verbum Divinum non esse Creaturam, sed Deum ex eo vel maxime probarunt, quod omnia creârit; quam rationem tamen nihil fecissent, & facillimo negotio eluissent Ariani, si Creaturæ creandi virtus vel tamquam causæ principi, vel tamquam instrumento communicari posset.

PROPOSITIO III.

Miracula proprie dicta demonstrante id sola ratione naturali evidenter sunt possibilia.

Miraculum dicimus opus omne, quod tam vires, quam exigentiam totius naturæ creatæ transcendit. Hæc miraculi notio minutis illis Philosophis non probatur, qui ut universa fatali cuidam necessitatibus substerrent, miraculum cum mirabili confundentes, nihil, quod vires, & totius naturæ creatæ superaret exigentiam, fieri posse ineptissime docuerunt. Hinc Spinoza k) miraculum definivit esse Opus naturæ, cuius causam naturalem exemplo alterius rei solitæ explicare non

possu-

possimus. Hobbes *l*) miraculum cum esse-
ctu naturali contorquet, ejusque causas qui-
dem in natura existere, at comprehendendi a
nobis haud posse asseverat. Eadem fuit Ne-
hemiae Grewii *m*) mens; quibus ex esse
consentit Joannes Lockius *n*) dicens; *Mira-*
culum est operatio in sensus incurrens, quam
spectator ut Divinam intuetur; quoniam captum
suum excedit, & contraria est (prout ille qui-
dem credit) stabilitis in natura legibus. Bern.
Connorius *o*) quidquid miraculosum dici-
mus, ex naturæ, mortusque legibus, princi-
piisque medicis explicare aggressus est; ne-
que jam commemorare volumus ineptos Hu-
mii, Rousseau &c. conatus, qui in eo toti
sunt, ut miraculorum sive existentiam, sive
possibilitatem penitus e medio tollant. Com-
munis horum error in eo versatur, quod le-
ges naturæ ex ipsis fluere rerum mundana-
rum essentiis, violari proinde, aut commu-
tari non posse arbitrentur; haud attenden-
tes, eas inde hypothetice solum derivari,
nimirum si Auctor naturæ velit, ut res juxta
vires sibi consentaneas agant; idipsum autem
velle, ac nolle liberrimo ipfius arbitrio stare.
Enimvero Naturæ leges non profluunt ex
principio contradictionis, & inexpugnabilis
neceſ-

l) In Leviath. c. 37. *m)* L. 4. Cosmol. Sa-
crae c. 5. *n)* Disc. sur les Miracles. *o)* E-
vang. Medic. Art. 5. & 6.

necessitatis, ut præfert impium Spinozæ fatum; sed ex principio convenientiæ, & ordinis, ut adeo pendeant a liberrima Dei dispositione, qui sicut Naturam, ejusque Leges condidit, ita in naturam, ejusque leges summum dominium habet. At cursum naturæ unquam præverti posse negat Spinoza p), ait enim, cum naturæ leges sint ipsissima Dei volentis decreta, quæ si mutari unquam contingeret, ipse immutabilis Deus mutaretur. Verum impius hic Scriptor immutabilitatem Dei tuendo illimitatam ejus evertit Libertatem. *Licet enim* (verba sunt Sapientissimi Pontificis Benedicti XIV. q) quando novi aliquid in *Mundo accedit*, sciamus, *Deum tunc primo non cognoscere rem aliquam sibi antea occultam*, neque novum de illa decreatum edere, & præterea admittamus connexionem secundarum causarum earum Subordinationem, & partium universi inter se dispositionem esse adeo inter se nexus, & constantes, ut ab uno summe libero, cui omnia comperta sunt, dirigantur; hinc tamen exclusio cujuscunque miraculi inferri non potest, multoque minus dici fore, si ea contingant, ut immutabilis Deus mutetur, cum miracula, & prodigia liberæ Voluntatis Dei sint opus, non voluntatis quidem, generales, atque consuetas naturæ leges dirigentis, sed

pecu-

p) Loc. cit. q) Vol. 3. de Canonizat Sanct. Diff. I. N. 12.

peculiaris, quæ sibi pro sua libertate agenda quædam insueta reservavit, & quæ, cum recedit a consuetis, & sibi præscriptis in rerum gubernatione legibus, tunc potissimum exequitur libere illa suæ peculiaris Voluntatis decreta ab æterno fixa, & rata. Hucusque Pontifex. Ubi ergo mutatio in Decretis divinis, quam Spinoza impostor pessimus ex miraculorum possibilitate futuram pertimescit? Sane si Princeps eo temporis momento, quo legem aliquam statuit, simul decernat, se in talibus circumstantiis velle ejus vinculum solvere, idque revera faciat, quis eum inconstantiae, aut mutationis redarguat? Num de Deo securus forte judicabimus, qui, ut ait S. Aug. r)
 Secundum ipsam suam misericordiam servavit sibi quædam, ut faceret opportuno tempore præter usitatum cursum, ordinemque naturæ; ut non majora, sed insolita videndo stupeant, quibus quotidiana viluerunt? Quam evidenter itaque ipsa ratione naturali comprobante possibilia sint miracula, Spinoza cum affeclis suis pervidere potuisset, nisi paralogismis uti, ac naturæ leges ex ipsis rerum essentiis deducere, easque immutabiles propugnando impium suum fatum roborare constituisset.

r) Tr. 24. in Joan.

EX

EX PSICOLOGIA.

PROPOSITIO I.

Mens humana est substantia Spiritualis.

Habere nos animum, cuius imperio & impellimur, & revocamur, omnes fatebuntur, ait Seneca s) quid tamen sit animus ille rector, Dominus que nostri, non magis tibi quispiam expediet, quam ubi sit. Alius illum dicet esse Spiritum, alius concentum quemdam, alius vim Divinam, & Dei partem, alius tenuissimum aërem, alius incorporalem potentiam. Non deerit, qui sanguinem dicat, qui calorem &c. Eo tamen omne Philosophorum de Animi natura dissidium recidit, ut eum vel corporeum, vel incorporeum esse profiteantur. Epicurus, apud quem, teste Tullio t) nihil est, quod non atomorum turba conficiat, sic insanit, ineptire eos contendat, qui animum incorporeum esse statuerent. Jurarunt in ejus verba hodierni Materialistæ, qui nullum ens præter materiam in rerum natura dari agnoscent. Sic Hobbes, sic Toland, sic Coward, Dodwel, Yvon, sic novissime docuit de la Mettrie u), quem Gallorum religio anno 1746. ceu pestem jure civitatis exuit; horum una vox est, Mentem humanam à materia non differre. Nos autem & ora-

culis

s) L. 7. QQ. nat. c. 27. t) L. 1. QQ. Tusc. c. II.
u) Hist. nat. de Anima.

culis Divinis, & Ecclesiæ definitionibus, & omnium primi nominis Philosophorum auctoritate fulti animum incoporeum esse intrepidi adfirmamus; sola tamen rationum pondere id id evincere nitimus; cum ita comparatos esse Materialistas nōrimus, ut neque **Divina**, neque humana auctoritate ab insania sua ad frugem revocentur. Ipsam præ oculis ideam substantiæ corporeæ constituamus, opus est, ut elucescat, quam longe ab illa differat, quam de animi natura habemus. *Nihil est in animis mixtum*, verba sunt Tullii x) atque concretum, aut quod ex terra natum, atque fictum esse videatur; nihil ne aut humidum quidem, aut flabile aut igneum; his enim in naturis nihil ineſt, quod vim memorie, mentis, cogitationis heat, quod & præterita teneat, & futura provideat & complecti possit præsentia . . . singularis igitur natura, atque vis animi sejuncta ab his usitatis, notisque naturis. Deprehendimus in substantia quavis corporea soliditatem cum extensione partium conjunctam, divisibilitatem, compositionem, mensuram, figuram, cœterasque affectiones, quæ vulgo mechanicæ appellantur. At *anima nec lotus dextrum*, verba sunt Mamerti Claudiani apud Doct. Claudio Fleury y) nec sinistrum, nec partem superiorem, nec inferiorem, nec anterio-

rem

x) L. I. QQ. Tusc. c. 17. y) Hist. Eccl. L. 29.
S. 39.

rem, nec posteriorem habet. Profecto nihil interis, nihil omnino passivum in animo reperitur, inquit S. Aug. z.) Modus, quo mens operatur, toto cœlo ab eo alienus est, quem in actionibus substantiæ corporeæ, sive materiæ observamus. *Sentit animus se moveri*, inquit elegantissimus Cicero a) quod cum sentit, illud una sentit se sua vi, non aliena moveri. Sentit, se de rebus innumerabilibus cogitare, etiam si nulla extrinseca actione pulsetur; sentit, se esse liberum, & in sua esse potestate hoc, vel illud cogitare. Animi virtutes cum tempore crescunt, & longa exercitatione perficiuntur; unde juxta Tullium b) *Mens, ratio, & consilium in senibus est*. Energia substantiæ corporeæ exercitio sensim languescit. & saepe prorsus extinguitur: Mens veritatem contemplando, quo clarior est, tanto magis delectatur: substantiæ corporeæ virtus ab objecto, quo vehementius est, eo plus debilitatur, & hebetior evadit. Nulla demum potentia corporea sui ipsius, vel suarum operationum sibi conscientia est, nec ulla earum celeritas tanta, quæ valeat cum animi celeritate in cogitando comparari. Ipsa vero cogitatio tam præstantis est naturæ, ut totum rerum materialium statum quam maxime transcendat. Unde non satis mirari possumus Joannem Lockium in ea .

a) L. 7. de Gen. ad lit. N. 10. b) L. 1. Tus. c. 23. c) L. de Senect. c. 19.

ea versantem dubitatione, utrum vis cogitandi materiæ per Deum solum concessa non sit, aut concedi nequeat, eo, quod necdum licuerit omnes ejus proprietates pervidere: neque satis indignari valemus Hobbesii stultitiæ, qui cogitationes à corporeis notionibus non esse distinguendas c) imperite non minus, ac impie pronunciavit. Luckio respondemus, ad evincendam Animi, & Materiæ repugnantiam sufficere, huic ea inesse attributa, quæ cum animi natura nullatenus conciliari queant, & cogitationem per nullum, qualiscunque sit, corpusculorum motum explicari posse; id ipsum valet, ut fanatica Hobbesii doctrina convellatur; ex quo, ut alia innumera taceamus, id solum quærimus, qua ratione Deum, virtutes, & vitia, veritatem, & alias res innumerabiles percipiamus, quæ cerebrum nullo modo pulsare valent, si, ut ait ille, cogitatio aliud non est, quam motio quædam subtilissimæ, & ad motum expeditissimæ substantiæ ab ea re, quæ percipitur, in cerebro excitata? sed neque jam alia Epicuræorum, ac Materialistarum turba quidquam nobis negotii facevit, qui ex admirabili illa necessitudine, & nexu, quem animum inter & corpus animadvertisunt, delirram suam opinionem tueri volunt; non enim

ex

c) In Leviath. p. 1. c. 3.

E

ex eo, quod Mens in corpore recipiatur, ipsum moveat, & hoc vicissim in eam peculiari quadam ratione agat, quodque tanta inter utrumque detur necessitudo, ut unum alterius bonis, malisque afficiatur, aliud jure colligimus, quam animum à corpore, & hoc ab illo propter admirabilem illam unionem in suis operationibus dependere. minimé vero, ut putant ii, eandem utriusque vel naturam esse, vel conditionem.

PROPOSITIO II.

Essentia Mentis humanae in actuali cogitatione non consistit.

Animum corpori copulatum nunquam omni cogitatione destitui post Tullium d) docuit Mamertus Claudianus e) contra. Fauustum Regensem, ut testatur Fleury f) ex quo si Cl. Huetio g) fides habenda, non pauca descripsit Cartesius in iis, quae ad Animi naturam spectare videntur. Nos in re hac admodum incerta, neque satis unquam declaranda definire quidquam non audemus; quidquid tamen forte in confirmationem Tullianæ hujus opinacionis feliciter concessit Cartesius,

judi-

- d) L. 2. de Divin. c. 17. e) L. de Anima.
 f) Hist. Eccl. l. 29. §. 39. g) Cens. Phil.
 Cartes. c. 8. N. 6.

judicium nihilominus arbitro defuit, neque res è sententia cessit, cum Animi naturam in actuali cogitatione collocavit. Primis id Ontologiæ principiis refragatur; è quibus illud entis cuiusvis essentiam esse novimus, quod in Ente primum concipitur, & ejusmodi est, ut ex ipso cætera quæque Enti propria deriventur; cogitatio porro animi actio est, & omnis actio vim, & agendi potentiam in a gente præsupponit; cum ad esse primum sequatur operari: non igitur cogitatio actualis, sed ipsa vis cogitandi Mentis humanæ constituit naturam. Hæc quippe, quoniam constans, & permanens est, in animo primum concipitur: hæc item rationem in se sufficien tem continet, cur facultates ad varias actiones, quas illa ipsa vis efficit, & quæ essentialiter transeunt, determinentur. Stabilis profecto, & invariabilis est rerum essentia, neque magis, minùsque suscipit, quod qua ratione verum sit, ipse viderit Cartesius; cum alias, & alias, jam magis, jam minus perfectas esse Mentis nostræ cogitationes experiamur. Ipsa certe cogitationis natura se & esse, & ab auctore homine profici sci satis, & abunde manifestat; in ea ergo mentis humanæ essentia constitui non valet, nî dicere velimus, hominem non tam Animi essentiæ auctorem, quam sui ipsius conservatorem esse, quod oppido an fabulam potius, quam demen-

tiam intolerabilem redoleat, ignoramus. Sed numquid Cartesius Animum substantiam esse confitetur? qua igitur fronte Mentis essentiam in cogitatione actuali sitam esse docet, quam Cartesiani meram esse Mentis modificationem contendunt? scilicet & Magister, & discipuli raro suis principiis consentanea protulerunt.

PROPOSITIO III.

Mens humana sua natura immortalis est; nec Dei voluntate in morte perit.

Gravissimum hoc est totius Psychologiæ argumentum, quod, ut liberius excusso futuri sæculi horrore flagitiis vacarent, ex hominum animis penitus evellere nunquam non mortalium perditissimi conabantur. *Sunt, qui discessum animi à corpore putent esse mortem,* ait Tullius, h) sunt, qui nullum censemant fieri discessum, sed una animum, & corpus occidere, animumque in corpore extingui. Qui discedere animum censem, alii statim dissipari, alii diu permanere, alii semper. Nempe diversi diversa de animi statu comminiscuntur; Prout aut Platonis honor, verba sunt Tertulliani i) aut Zenonis vigor, aut Aristotelis tenor, aut Epicuri stupor, aut Heracliti mœror, aut Empedoclis furor persuaserunt. Sane in epicuri hara grun-

nit

b) L. 1. QQ. Tusc. c. 9. i) De Anima c. 2.

nit animus, moriturque, ejusque excidium tristi carmine canit Lucretius ^{k)}, & Plinius Senior ^{l)} multis, sed revera miserrimis argumentis comprobare adlaborat; neque his validiora sunt, quibus Materialistæ recentiores Machiavellus, Hobbes, Toland, Voltaire &c. animorum immortalitatem impugnant. Præterimus autem Stoicorum insaniam, qui scutis à corpore sapientum, heroique mentibus longam, brevem vero rudium animis vitam tribuere: non minus indignas relatu putamus Petri Pomponatii, & Baylii argutias, qui animam philosophice mortalem, theologicice immortalem esse docuerunt; nostrum est ostendere, animos hominum sua natura immortales esse, neque Dei voluntate à corpore solutos interire. Quod ut ex ordine præstems, perpendere juvat, Animum, cum substantia spiritualis sit, natura sua ad existendum corpore haud indigum esse; prout enim substantia est, intrinsecus à subjecto non dependet; ut Spiritus autem, teste Platone ^{m)} Deo ceu Enti purissimo maximo accedit; proinde ut existat, opus non habet corpore, quod ab Ente puro longissime est remotum. Animus igitur à corpore solutus natura sua manet superstes; cum neque ad existendum indigeat corpore, neque per vim agentis crea-

E 3

ti

^{k)} L. 3. de nat. rer. ^{l)} L. 7. Hist. nat. c. 55.

^{m)} In Phœd.

ti perire queat. Quî enim periret? an per partium, quibus caret, dissolutionem dissipatur? an in sui nihilum rediret? quod vero creatum agens ea pollet virtute, ut animum, quem creare non potest, in nihilum redigere possit? quod si vero Mens à corpore separata existere valeat, vim etiam cogitandi, suaque appetitiones, & alia operationum ei conaturalium genera exercendi in eo separatio-
nis statu nullus ei jure denegabit; inanis enim alias effet animi potentia ad existendum, nî
& hanc vis operandi consequeretur. Tanto
fortius autem convincimur, Animum à cor-
pore sejunctum non existere modo, sed & ope-
rari posse, quanto certius est, ipsum à cor-
poris vinculo impediri, ne tam perfecte in
rerum altissimarum contemplatione versetur;
unde contingit persæpe, ut Mens corpori co-
pulata corpore ipso, & sensibus non utatur,
sed ab exterioribus, & sensibilibus sese avo-
cet, atque seipsam in seipsa ita colligat, ut
à corpore sejuncta veluti videatur, cum se ad
res Divinas, aliasque altioris indaginis con-
templandas disponit. Itaque cum animus do-
micio corporis exutus & existere, & opera-
ri, & vivere, nec per vim ullius agentis crea-
ti five destrui, five in nihilum redigi, five
vi cogitandi, quæ est ipsa Animi vita, & na-
tura, spoliari possit, jam non est, cur eum
natura sua immortalem esse negemus. Hæc
qui-

quidem sunt, quæ ex ipsa Animi ratione petitæ immortalitatem ejus luculenter probant; at non desunt alia innumerabilia, quibus veritas hæc manifestissime confirmetur. Et imprimis quidem omnes meliores notæ Philosophi referente Laërtio *n*) Plutarcho *o*) Tullio *p*) animos immortales esse, uno ore testantur. Nulla Gens, nulla natio tam inulta, & barbara est, quæ id sibi firmiter non persuasisset; uti fuse tam de populis antiquitus notis, quam recentius cognitis ostendit Hugo Grotius *q*) *Omni autem in re consensio omnium gentium lex naturæ putanda est*, ait Tullius *r*). Nec immerito id omnes sibi populi persvasere; cum persuasio de animorum immortalitate fundamentum sit omnis honestia quippe homines impellit tam ad fugienda vitia, quam ad sectandas virtutes. *Nemo unquam, loquitur Eloquentiæ Romanæ Princeps* *s*), *sine spe immortalitatis se pro Patria offerret ad mortem*. Nemo generosa voluntatum fuga corpus suum ad tolerantiam formaret, nemo in egestate, & contemptu vivere magis, quam in opulentia & dignitate præeligeret, nî spem haberet, fore, ut præmium bene actorum in ea vita immortali conseque-

E 4

retur

n) In Vit. Phil. L. I. *o*) L. 4. de Placit. Philos. *p*) L. I. QQ. Tusc. *q*) T. I. L. I. de Verit. Rel. Christ. *r*) L. I. QQ. Tusc. c. 13. *s*) loc. cit. c. 15.

retur: sublata vero spe alterius vitæ, in qua præmia recipiant boni, & inqui puniantur, quæ morum erit honestas? quæ Justitia, qua una continetur humana societas? quæ virtus? quæ religio? quam abjecta demum hominis conditio! Bruta id aliquando assequuntur, quod naturali appetunt instinctu, eoque obtento perfectissime quiescunt; at in homine, qui innato, & vehementissimo appetitu beatitudinem post mortem desiderat, si nulla tum vita supereffet, desiderium hoc Felicitatis nunquam expleri posset: brutis igitur animantibus ipsis deterior esset homo. Sed quid argumentis collimus, verba sunt Lactantii t) æternas esse animas, eum habeamus testimonia Divina? quibus evincitur, eas à corpore solutas nec Dei voluntate fore interituras. Si nihil est post hanc vitam, argumentatur S. Jo. Chrysostomus u), ne Deus quidem est; si Deus est, justus est: quod si justus sit, pro dignitate tribuet unicuique. Si nihil post hanc vitam sit, quomodo, quod par est, recipiet unusquisque? Nulla omnino Respublica, ut sapienter olim dixerat Solon, nisi duabus rebus contineri potest, præmio, & poena; Evidens autem est, huic mundo ceu Reipublicæ optimæ constitutæ præesse Rectorem quemdam, qui sit virtutum remuneratur, & scelerum vindicta; quare si vellet hic, ut animi à corpo-

t) Div. Instit. c. 7. u) Orat. 4. de Provid.

re soluti dissiparentur, neque præmium recipierent ii, qui sceleris puri perpetuis in hæc vita calamitatibus obruti mortem oppetivere: neque plecterentur improbi, qui perpetua hic, & non interrupta felicitate fruebantur; neque proinde Respublica hæc bene constituta, aut Rector ejusdem sapiens, justusque dici possit. Reponet forte Epicureorum aliquis, virtutem sibi ipsi esse præmium, & flagitium sibi ipsi poenam esse sufficientem; at inanis, & futilis est hæc opinio: vel enim flagitium satiis improbum torquet, vel secus? si satis: igitur malefactor nemo tam improbus est, qui à potestate civili jure plectatur: igitur integrum erit cuivis nihili habita societate humana, morumque honestate scelera cumulare sceleribus, jura quæque contemnere, ac impune leges aspernari. Si vero tormentum illud non sufficiat, necesse est, ut alia post mortem vita super sit, in qua & virtus præmium, & scelus poenam sufficientem nanciscatur. Concludamus ergo, deplorandam esse illorum amenantiam, qui absque ulla spe emolumenti salutem suam in certissimum discrimen adducunt; nam et si, ut falso sibi persuadere pergunta, Mens interiret, nulla ipsos tamen adeo stultæ confidentiæ merces maneret, omni nempe sensu, & vita orbatos: si vero secus se res habeat, uti certissimum est, quantas pervicatiæ suæ pænas dabunt, dum reclamante utut na-

tura immortalitate animi negata religionem omnem abjecerunt.

PROPOSITIO IV.

Inter varias de Animi Ortu sententias eam amplectimur, quæ docet, Mentem humanam à solo Deo creari, & humano corpusculo tunc infundi, quando in eo partium evolutio ad obeunda vitæ munia immediate sufficiens habetur.

Ut enim ab antiquissimis ordiamur, turpiter errarunt ii, qui vel cum nonnullis Stoicorum post Pythagoram Mentem humanam Dei esse partem, vel cum Spinoza, qui impiam Euripidis, Manichæorum, & Priscillianistarum crambem recoxit, eam ab ipsa Dei substantia haudquam differre sunt arbitrati, non advertentes, *distractione humanorum animalium*, ut scite loquitur Tullius x) discerpi, & lacerari Deum Sola refutando huic delirio sufficit ratio, qua magnus Doctor S. Augustinus y) Fortunatum Manichæum perstrinxit dicens: *Mutatio animæ ostendit mihi, quod anima non sit Deus; nam si anima substantia Dei est, substantia Dei errat . . . substantia Dei*

vio-

x) L. I. de Nat. Deor. c. II. y) Disp. I. N. II.

violatur, substantia Dei decipitur, quod nefas
 est dicere. Nec minus à vero deviavit Plato,
 cum animam humanam particulam esse censuit
 ex anima universi decerpitam; hæc enim si
 spiritualis esse ponatur, simplex fit, est nece-
 se, nec proinde in partes discerpibilis: si ve-
 ro corpoream esse fingat Plato, edifferat, qua
 ratione Mens humana, quæ juxta ipsum incor-
 porea est, ex ea potuerit avelli? Eodem fe-
 re modo celebris olim Tertulliani, & Apol-
 linaris opinio confutatur, qua docuerant, ani-
 mam à parentibus in sibolem per traducem
 propagari, ut hac ratione originalis culpæ in
 posteros transfusio explicaretur. Quippe Tra-
 ductio hæc defendi nequit, nisi parentum ani-
 ma corporea, & in partes sectilis esse dicatur.
 Ast quid mirum, id somniaffe Tertullianum,
 qui, teste D. Aug. 2) *etiam ipsum Creatorem*
Deum non esse nisi corpus opinabatur. Ratio
 porro à transfusione culpæ originalis petita
 nihil probat, nî placeret afferere, alias quo-
 que parentum sive virtutes, sive vitia, qui-
 bus conceptus tempore affecti sunt, in sibolem
 transfundi: cœterum qua ratione labes
 Adamitica in posteros transeat, Theologorum
 est explanare. Rejectis his Veterum opina-
 tionibus nihil certius est, quam animam ra-
 tionalem à Deo creari. Sed quo tempore?
 hoc est enim vero, quod Philosophorum in-
 genia

genia non hodie minus cruciat, ac olim fatigavit. Origenes animabus omnibus quas ante genesin corporei hujus Mundi à Deo simul creatas afferuit, jucundum in astris domicilium assignavit, inde autem in vindictam scelerum, quæ ibi commisere, in corpora tamquam in totidem carceres detrusas fuisse docuit. Verum plura sunt, quæ fabulosam hanc animarum præexistentiam funditus evertunt. Si anima primi parentis nostri suo corpori non præextitit, sed huic ē limo terræ jam formato inspirata fuit, uti Sacra Geneseos historia a) nos docet; cur aliorum animas aliùs esse conditionis adfirmamus? Si animæ nostræ in astris ante habitavere, quam in corpora detruderentur, eæ utique aliquid egerunt: *Neque enim possumus*, ait S. Hieron. b). *incorporalem mentem in modum glirium immobilem, torpentemque sentire.* Quis autem nostrū meminit eorum, quæ mentes nostræ in astris gesserunt? Et si in vindictam scelerum in corpora ceu carceres detrusæ sunt, cur improbi morte plectuntur? expediret enim animas eorum corporibus junctas carnis, ceu carceris squallore diutius tabescere, quam iisdem solutas in astra tamquam lætum, pristinumque suum domicilium remeare. At neque jam absurdam eorum opinionem commemorare volumus, qui animarum rationalium præ-

a) C. 2. b) Epist. 61. ap. M. gal. illiq. 2.

præexistentiam vel in animalculis Spermaticis,
vel in ovulis maternis cum Leibnitzio, &
Wolfio modicus tuentur. Est enim hoc præ-
existentiæ genus inanis quidam, & vanus la-
scivientis ingenii partus jam antehac in Conc.
Lateranensi V. c) proscriptus, atque dein-
ceps argumentis pluribus tum è Natura, tum
è Morali disciplina petitis, quæ videri pos-
sunt apud Cl. Fort. à Brixia d) abunde, ac
satis enervatus. Supereft ergo, ut Animam
humanam tum à Deo creari, & corpusculo
infundi asseramus, cum hujus organa ad ob-
eunda vitæ munia immediate fufficiunt; si-
cut enim experientia teste Anima tunc à cor-
pore discedit, quando vel una, vel plures
ejusdem partes ita destruuntur, ut ad exer-
cendas vitales operationes ineptum fit: ita
quoque Anima corpori copulatur, dum hujus
organa rite disposita, & obeundis vitæ mu-
niis accomodata supponuntur. Neque aliud
cum quavis anima fieri arbitremur, quam quod
cum anima primi hominis factum est; hanc
autem & à Deo creatam, & corpori tum in-
spiratam fuisse legimus, cum ad perficiendas
vitales operationes adeo aptum fuit, ut ni-
hil ei organicæ perfectionis deesset. Deus
quidem e) die septimo requievisse dicitur ab
omni opere quod patrârat; ast male ex iis
ver-

c) Sess. 8. d) P. 2. Metaph. Sect. 3. e)
Gen. 2.

verbis colligit Wolfius, jam nullam de novo animam à Deo creari. Audiat S. Augustinum hac de re f) sic differentem: *Jam sexto die fecerat hominem ad imaginem suam, quod utique secundum animam intelligitur.* Hoc & nunc facit, non instituendo, quod non erat, sed multiplicando, quod erat. Unde & illud verum est, quod à rebus, quae non erant, instituendis requievit. Et hoc verum est, quod non solum gubernando, quae fecit, verum etiam aliquid, non quod nondum, sed quod jam creaverat, numerosius creando nunc usque operatur. Hisce verbis præcipuum ruit Wolfianæ sententiæ fulcrum.

PROPOSITIO V.

Mutuum Animæ cum Corpore commercium nec in systemate Causalium Occasionarium, nec Harmoniæ præstabilitæ, nec in hypothesi Tourneminiana, sed in systemate mutui Influxus physici, et si obscurè, satis tamen explicatur.

Delphico foret opus Apolline, qui admirabilem illam Animi, corporisque conspirationem, seu mutuum utriusque substantiæ commercium nitide nobis explanaret; quanto enim magis, ipsa nos latet animæ na-

tura,

f) Epist. 28. c. 5.

tura, tanto difficultius est modum definire, quo corpori adjuncta est, & qua ratione fiat, ut ad imperium Animi convenientes in corpore motus, atque ad certas corporis humani mutationes harmonicæ in animo affectiones consequantur. Quidam, ut nodum solverent, ad aram configuentes Deum ex machina vocaverunt, rati, res creatas nihil operari, sed meras esse Causas Occasionales, & ad earum præsentiam effectus omnes à Solo Deo produci. Ajunt proinde, ut commercium explicent, Deum fixam sibi legem constituisse, quæ positis quibusdam animi appetitionibus certos in corpore motus, & ortis quibusdam corporis mutationibus convenientes ipse in animo rerum ideas efformaret. En celebrem illam *Cauſarum Occasionalium*, seu *Adſiſtentiae* hypothesin, quam, ut jam insinuavimus, nemo Malebranchio ſive acrius, ſive copiosius propugnavit; at nostro quidem judicio infeliciter fatis. Quid enim minus philosophicum, quam in assignandis rerum naturalium cauſis ad Deum veluti cauſam unicam, & immediatam configere? hanc philosophandi methodum *Magnam Stultitiam* vocat Tullius g); nec immerito; Ea quippe ratione, ut sapienter arguit Boehmius h) difficillimi quique in *Philosophia nodi non solvuntur quidem*; ſecantur

ta-

g) L. 3. de Divin. c. 26.
§. 634.

b) Psychol. ration.

tamen facilime, & ridicule simul; cur v.g. Elocres primo, dein demum poma ferat arbor? quærenti respondetur; quia Deus primo floribus, inde pomis arbores ornat. Et quod summum est, si Deus omnes omnino appetitiones, & perceptiones in animo, atque omnes in corpore motus, quos voluntarios appellamus, sua tantum virtute efficiat, liberum hominis arbitrium in anime, atque passivum erit instrumentum, secus ac Concilium Trid. i) definit. Quod si vero animus vi propria velle possit, edicant, cur non etiam virtute propria suas ideas producere valeat? num forte major ad efficiendas has, quam illas energia requiritur? Sed jam ad aliud systema, quod à Leibnizio procusum, Wolfius illustravit, digrediamur. In hoc Animus congenita sibi vi omnes suas perceptiones, & appetitiones revera, & serie nunquam interrupta progignit; omnes autem corporis mutationes perenni serie, fluxuque ex solo ipsius mechanismo procedunt. Etsi vero hæ illis mira consensione respondeant, nec tamen corpus ad animi affectiones, nec animus ad corporis mutationes quidquam confert: nam hæ in corpore perinde fierent, licet ab eo animus abesset, & vicissim animus à corpore solutus easdem omnino five perceptiones, five appetitiones haberet: inde autem mirabilis hæc harmonia respon-

den-

dentium inter se utriusque substantiæ actionum oritur, quod Deus, antequam duplex hoc, & adeo differens automa consociasset, utriusque affectionum seriem prænoverit, & animæ cuivis corpus consentaneum aptârit: quocirca Systemati huic *Harmoniæ præstabilitæ* nomen hæsit. Multa vero involvit, quæ nec Viro Orthodoxo, nec ingenuo Philosopho placere possunt; pauca delibemus: Sacer codex, sanctique Patres clamant, sensus caute esse custodiendos, cum ex effræni eorum licentia variis anima flagitiis inquiretur: docent, ex unione animæ cum carne infecta malam in nobis concupiscentiam oriri. Doctrinam hanc evertit Systema harmoniæ præstabilitæ, in quo id profundamento ponitur, mutationes corporis nihil prorsus ad affectiones animi, neque has ad illas quidquam conferre; hoc admissum nulla subest ratio, cur oculi, ne videant vanitatem, averti: cur aures ad fallacium Syrenum cantus occludi: cur lingua, & Palatum à vetitis cohiberi: cur corpus, ut in Servitudinem Spiritus redigatur, castigari debet. Quid clarius etiam, quam in hac hypothesi sublata libertate humana Fatalismum induci? Nam Mens ipsa ex sua natura ad producendas perceptiones, & appetitio-nes suas, atque corpus vi mechanismi ad omnes motus suos ita natura sua determi-

natum est, ut neutrius actiones ullo pacto valeant impediri. Est porro hæc hypothesis ejus conditionis, ut neque ab ingenuo Philosopho defendi queat; quippe nullam ea rationem prodit in anima, cur positis in ea certis volitionibus certi quoque motus in corpore fiant, nec ullam in corpore rationem exhibet, cur ex certis ejus mutationibus convenientes in anima notiones oriantur: vel igitur harmonici hujus consensus nulla prorsus est ratio, vel alia non, quam Voluntas Dei, quæ decrevit, ut hæc duo et si valde dissimilia automata in suis operationibus mutuo consentirent; quæ explicatio quam philosophica sit, nōrunt etiam ii, qui primis philosophiam labiis degustavere. Quid quod hæc hypothesis non falsis modo principiis innitatur, sed planam quoque viam Idealismo, Fanatismo, & ipsi Atheorum insaniæ, aliisque absurdis plurimis aperiat, ut Lamy, Clarcke, Antonius Genuensis, Fortunatus a Brixia, aliique luculenter demonstrarunt. Residuum igitur est, ut in explicando mutuo Animi, corporisque commercio alterum *Influxus physici* sistema, cui non tantum Peripatus, sed etiam Recentiores passim impense favent, rejectis hypothesis præhabeamus. Statuitur in hoc vera corporis, animique a se invicem dependencia, ea nempe ratione, ut anima corpus, cui juncta

juncta est, vera actione physica ad motum peragendum impellat, eumque re ipsa in corpore efficiat: & vicissim corpus impressis in sensu motionibus, ac ope nervorum ad cerebrum propagatis animam ad rerum perceptiones, & appetitiones determinet, quin tamen hac actione ex una substantia in alteram quidquam transferatur. Multiplex, neque contemnenda ratio pro actione mutua utriusque substantiae nobis videtur patrocinari. Quippe quam maxime verisimile est, motus corporis voluntarios ab anima profici sci, quos ad nutum ejus admirabili celeritate, atque constantia sequi videmus. Sane corporis constitutio ab alternantibus animi affectionibus mirum in modum alteratur, ita quidem, ut pro varietate affectuum jam in melius, jam in deterius sensu, & experientia ipsa comprobante mutetur. Consulantur hac de re Medicorum peritissimi, quibus perspectum est, a vehementiori nonnunquam animi affectu motus in corpore convulsivos, & vitae perniciosos oriri. At neque de influxu corporis in animam dubitandum est; equidem experimur, pro diverso corporis temperamento, & objectorum varietate varias in mente ideas procudi, pro varia cerebri dispositione vel magis, vel minus perfectam esse animi vim, pro valetudine quoque secunda, vel adversa mentis ipsius vi-

gorem crescere, vel diminui. Profecto varietatem temperamenti major, minorve ad virtutes, vitia, artes &c. proclivitas, propensiones, & appetitus consequuntur. Itaque admodum probabile est, non modo corpus in suis motibus ab anima, verum & animam in suis affectionibus a corpore dependere, proinde admirandam utriusque substantiæ conspirationem per mutuum utriusque in se invicem influxum aptius, quam in cœteris hypothesis explicari. Neque tamen influxum hunc physicum in eo sensu accipimus, quasi ex anima in corpus, & ex hoc vicissim in animam quidpiam transfunderetur, ut influxionistis imponit Wofsius k); sed agit anima in corpus, dum Spiritus animales dirigit ad influendum per nervos sensorios in musculos, quibus motus spontanei efficiuntur; agit autem corpus in animam per actionem determinantem, cum commotis sensuum nervis mens afficitur, & ideas objectorum sensus ferientium sibi representat; unde neque necessarium arbitramur, ut propositæ difficultatis evitandæ causa ad quartum quoddam Systema solius Influxus Animæ in Corpus, quod Cl. P. Tournemine l) ingeniose proposuit deflectamus. Præterquam enim, quod hypothesis

hæc,

k) Psychol. rat. Sect. 3. c. 1. l) Acta Trigvultiens. ad ann. 1703, Tom. 2. 3. & 4.

hæc, prout apud Cl. P. Benedictum Stattler m) exponitur, variis argumentis minime contemnendis prematur, illa negando influxum Corporis in animam eundem hoc ipso adstruit, quod adfirmet, actionem animæ ab omni mutatione corporis ex impressionibus extraneis facta alterari, eamque vel faciliorē, vel difficiliorem reddi, atque per impulsū corporeū, si æquabilis, & lenior sit, juvari, si vero vehementior sit, impediri. Hac siquidem ratione negari non potest, mentem à corporeis motibus dependere, atque corpus in animam actionem determinantem exercere, qua fit, ut ipsa ad rerum cognitionis, & appetitiones eliciendas ab ipsa corporis mutatione determinetur. Cum ergo nec ista hypothesis sibi fatis cohæreat, pro Influxu mutuo standum nobis esse censemus; in quo etsi paululum obscuriore, mirabile tamen commercii phænomenon felicius quam in cæteris quibusque systematibus explanatur.

m) Psychol. c. 6. Art. 2. N. 368.

PROPOSITIO VI.

*Omnis cognitio nostra vel immediate, vel
mediate à sensibus dependet; nullam
proinde ideam innatam agnoscimus, sed
omnes aut adventitias, aut facilitias
esse adfirmamus.*

Non est hic nobis animus insultam illam Democriti, & Epicuræorum opinionem ad trutinam revocare, qua ideas rerum nihil esse præter idola, & simulacra à rebus ipsis abrasi, undique effluentia, & per sensus temere ad Animæ sedem usque propagata credebant; quippe explodendo huic figmento vel sola sufficit argumentatio, qua Tullius ⁿ⁾ Vellejum confutat. Audiamus Virum summum ita declamantem - *Quæ istæ imagines vestræ, aut unde? à Democrito omnino hæc licentia. Sed & ille reprehensus à multis est, nec vos exitum reperitis: totaque res vacillat, & claudicat. Nam quid est, quod minus probari possit, quam omnium in me incidere imagines? quid quod ejusdem hominis in meum aliæ, aliæ in tuum (intellige animum)? quid quod earum rerum, quæ nunquam omnino fuerunt, neque esse potuerunt, ut Scyllæ, ut Chimæræ? quid quod hominum, locorum, urbium earum, quas nunquam vidimus? quid quod simul, ac mihi collitum*

ⁿ⁾ L. I. de nat. Deor. c. 38. & 39.

bitum est, præsto est imago? quid quod etiam ad dormientem veniunt non, invocatæ? tota res, Vellej! nugatoria est . . . Puderet me dicere non intelligere, si vos ipsi intelligeretis, qui ista defenditis. Non minus in re seria nugantur ii, qui omnem idearum efficientiam ab animo removent, easque à Solo Deo occasione motuum ex rerum sensibilium appulso in organis sensoriis contingentium ipsi menti communicari existimant. Numquid enim, ne rationes numero priore adversus Adsistentiæ hypothesin allatas, quæ huc etiam faciunt, repetamus, numquid illud quoque idearum genus à Deo Intellectui nihil agenti, & passivo impressum opinabimur, quo ad pravas cupiditates, & flagitia consecranda urgemur? Et si Mens humana virtute sibi congenita suas active appetitiones elicit, ut anathematis declinandi causa fatendum est Cartesianis, qui eadem nobiscum communione vivunt, quid vetat, quo minus Menti vis activa suas procedendi perceptiones concedatur? At ponatur modus: alia nobis excutienda est opinatio, qua iidem Cartesii asseclæ Platonem imitati rerum pluriunarum ideas ab ortu nobis congenitas, & innatas esse defendant; per has vero juxta sensum communiores formas quasdam, & imagines rerum animis impressas, atque à perceptionibus discretas intelligunt, quæ tametsi semper perseverent, non

tamen advertuntur, nisi animus ad eas percipiendas peculiari quodam modo determinetur. Verum si rem, prout oportet, perpendamus, ipsi fatebuntur Cartesiani, non omnes omnino ideas nobis innatas esse, ne secus cum de rebus infinitis cogitare possimus, simulacra rerum numero infinita menti esse insculpta dicere cogantur, quod vehementer absurdum foret; & alioquin ipsi Ideas in adventitias, factitias, & innatas dispescunt: hoc vero ipsum est, quod nos impellit, ut omne profus idearum innatarum genus repudiemus. Nam si quædam ideæ innatæ non sint, jam dubitari nequit, animo facultatem inesse eas ipsas vi propria efficiendi, qua vi menti concessa, non est, cur ambigamus, eam ad efformandas omnis generis ideas extendi, adeoque ad illas etiam, quas infusas esse contendunt Cartesiani; ut idcirco necesse haud sit in explicanda idearum origine ad idola menti insculpta configere, & ab ea sententia recedere, quæ docet, ideas omnes partim à sensu, partim ab attentione, reflexione, conjectura, ratione tum abstrahente, tum comparente proficisci, quamque in modo Peripatetici, sed & omnis sanior Recentiorum turba tuetur. Hujus autem sententiæ veritas non enitescit magis, quam dum illarum rerum ideas, quas innatas dicunt Adversarii, per sensuum adminicula, & Mentis actionem ex-

pli-

plicamus; hac enim ratione fit, ut nulla eorum necessitas appareat. Age vero earundem ortum declaremus: Et imprimis quidem, quod ad ideas Universales attinet, easdem Mens efformat, cum res singulares contemplatur, comparat, & ab iis, quæ singulis propria sunt, abstrahit. Ideæ vero Spirituum, quorum nulla sunt simulacra corporea, non imagine aliqua propria, sed sejunctione affectio-
num corporearum continentur, & si quid eisdem insit proprii, id totum attentioni, reflec-
xioni, & comparationi mentis tribuendum est. Ideæ nostræ de præstantissima Dei natura admodum obscuræ sunt, & imbecilles, nec eas aliter adquirimus, quam ratiocinando, & imperfætas nostræ naturæ proprietates ab Ente purissimo removendo. Igitur qualiumcunque sint rerum notiones, eæ vel immediate, vel mediate à sensibus dependent, & Mentis actione efficiuntur. Neque tamen enatarum hac ratione idearum incorporearum genesin quisquam irrideat; cum has nequaquam ex impulsibus corporeis tamquam è materia evolvi, sed Mentem solum ab extraneis impressio-
nibus ad earum conformatiōnēm determinari putemus. Sunt etiam notiones quædam ge-
nerales, & naturæ ipsius propensiones, quæ vulgo innatæ dicuntur; ast hæc, & similia non alio in sensu congenita nobis esse dicimus, quam quod insitum nobis sit lumen naturale,

eoque animi vis, qua ex rerum sensibilium notione in Dei, & aliarum rerum insensibilium cognitionem facile assurgamus, & bono proposito ad ejus appetitionem, malo autem oblato ad ipsius fugam nullo negotio urgeamur. Illud vero stomachum movet, quod ajunt aliqui, fore, ut nullum sit inter animos hominum in utero Matris existentium, & Belluarum animas discriminem, si illi innatis rerum ideis omnino destituantur; quasi vero toto hæc animarum differentia non à propria, & insita cuique agendi facultate, sed à communitiis illis ideis dependeret.

EX THEOLOGIA NATURALIS.

PROPOSITIO I.

Evidens est, Deum T.O. M. existere.

Dei nomine intelligimus Ens à se, necessarium proinde, æternum, infinitum, summa Sapientia, Potentia, Bonitate, cœterisque perfectionibus omnibus possibilibus præditum, quod Mundum hunc adspectabilem, & universam, quæ in eo sunt, ex nihilo creavit, conservat, maximaque providentia gubernat. Hoc Ens præstantissimum è rerum universitate amoliuntur hominum summe nefasti,

trii, quos *Atheos* nominamus, in quorum censum ex antiquis teste Sexto Empyrico o) veniunt Prodicus Ceus, Diagoras Melius, Critias, Euhemerus, Protagoras Abderites, Theodorus Cyrenaicus, & Epicurus, qui nihil in tota sua doctrina de Deo præter ludibrium quoddam Divinum prodidit; unde Cicero p) sic de eo fatur: *Ludimur ab homine non tam faceto, quam ad scribendi licentiam libero . . . Epicurus re tollit, oratione reliquit Deos.* Scilicet, ne ab Atheniensibus plecteretur. Inter recentiores vero supremi Numinis derisores veniunt David de Dinando, Lucilius Vaninus, Machiavellus, Spinoza, Toland, Hobbes &c. qui aut ejusmodi Deo attributa adsinxerunt, quibus infinita ejus perfectio convellitur, aut ea statuerunt principia, quibus Atheismi machina nititur, aut supremum existere Numen plane pernegarunt. Quidquid autem horum pestilens infania parturiverit, nobis tamen persuadere haud possumus, Atheos unquam theoreticos extitisse, qui id in animo revera senserint, quod ore profitebantur; tam evidens enim est veritas de summi Numinis existentia, ut invitis etiam oculos mentis perstringat, palamque reddatur, ipsam inficiantes vel in eorum venire numerum, de quibus ait Psaltes q) *Dixit insipiens in corde suo:*

o) L. 8. adv. Mathemat. p) L. 1. de nat. Deor.

q) Ps. 52.

suo: non est Deus. Vel pessimo Voluntatis
vitio laborare. Atque, ut ab evidentia, quæ
metaphysica dicitur, exordium ducamus, re-
pugnat prorsus, ut tota omnium Entium
collectio contingens sit, quin ens aliquod neces-
sariorum existat, in quo ratio, cur entia con-
tingentia existant, sufficiens contineatur; enim
vero si tota entium collectio contingens est,
tota ita existit, ut potuerit ex æquo non exi-
stere, si autem non existere potuit ex æquo,
nulla ratio est, cur magis ad existendum, quam
ad non existendum fuerit determinata, nisi
vel admittatur Ens aliquod necessarium, à
quo determinata est, nempe Deus; vel dica-
tur, totam entium collectionem contingentem
semetipsam, priusquam existeret, ad existen-
dum determinasse; qua opinione stolidius ni-
hil cogitari potest. Ne rationum consimilium
evidentia percellantur, ad Infiniti latebras
confugiunt Athei; at nihil proficiunt, cum &
ipse progressus in infinitum, utut secum ipso
pugnet, sit Ens contingens: adeoque pri-
mam sui causam non excludat; ut clarissima
hac ratione ostenditur: Omne Ens contin-
gens est sibi insufficiens ad existendum: igitur
collectio infinitorum entium conting-
tium nihil aliud est, quam series infinitarum
insufficientiarum ad existendum; hæc vero
tam parum unam efficit sufficientiam, quam
parum collectio infinitarum nullatum effice-

re potest unitatem: itaque collectio infinitorum entium contingentium est Ens sibi ad existendum insufficiens, adeoque contingens, & cum progressus in infinitum sit revera series infinitorum entium contingentium, & ipse contingens sit, primamque proinde causam habeat, est necesse. Progrediamur ad argumenta physica, quæ ex rerum naturalium contemplatione ducuntur. *Quis Mundum contuens Deum esse non sentiat?* quærerit S. Hilarius r.). Quis credat siderum orbes, qui undique capitibus nostris imminent, sine supremi Opificis regula tam constanter, & imperturbate volvi? quis cœco fortunæ ductu factum existimet, ut Sol, Luna, cœterique Planetæ tot annorum millibus cursum suum ordinatissimum non interrumpant? An non tam idonea aëris temperies, tam stabilis dierum, noctiumque vicissitudo, & quadripartita anni varietas, tam elegans arborum, plantarumque constructio, tam stupendum bestiolæ vel minutissimæ artificium Divinum nobis Opificem evidenter spectandum exhibent, nonnisi ab auctore sapientissimo se fieri potuisse clamitant, ejusque magnificentiam loquuntur, annuntiant, extollunt? Certe Galenus, ut refert P. Valsenchi s) ex Sola Corporis humuni configuratione adeo in stuporem actus est; ut illud & sapientissimi, & potentissimi factoris esse laborem

r) In Ps. 52. s) L. i. contra Incred. c. 3.

borem argueret, librumque suum, quem de usu partium corporis humani inscripsicerat, magis in gloriam tanti artificis, quam alium in finem concinnasse videretur. Quid demum, si ad momenta moralia animum applicemus? Nulla unquam *Gens* neque tam immanueta, neque tam fera existit, ait Tullius ^{t)}, quæ non etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat. Eidem consentit Seneca ^{u)} inquiens: Nulla gens adeo est extra leges, moresque projecta, ut non aliquem Deum credat. Quod autem natura universaliter, & naturaliter confitetur, verba sunt Gulielmi Paris. ^{x)}, necesse est verum esse; naturam enim naturaliter, & universaliter mentiri impossibile est; neque huic generali omnium persuasioni paucorum insania vel in minimo officere vallet. Sane si nullum existeret Numen supremum, quod æquo jure virtutem remuneraret, & Scelus ulcisceretur; heu, quanta in hoc universo regnaret confusio! quid enim monstrum similius esse videtur, quam justum, omnibus pene vilem effectum, vix, aut nunquam innocentiae suæ mercedem affequi, impium vero in hoc Mundo vitam sceleribus fœdam impune traducere, & suæ turpitudinis præmium sortiri? Ubi enim, si nullus existat Deus, ubi perversorum supplicium? ubi dig-

^{t)} L. I. de Leg. c. 8. ^{u)} Epist. 117. ^{x)} L. I. de Virt. c. 2.

na bonorum retributio? Ipsos autem Atheos
alloquamur: Ecur, hominum flagitiosissimi!
si omne Mundo Numen exulat, & non nisi
regnantium astu ob causas politicas, ut ineptè
garritis, in mortalium animis viget; ecur
mentis angore concutimini, cum admissi faci-
noris recordationem conscientia objicit? cur
in desperationem sœpe proruitis? unde tanta
animi laniana? cur veluti furiis agitati artibus
omnibus contremiscitis? Quis sibi persuade-
bit, posse homines invisibilis alicujus non En-
tis timore percelli? existit ergo Deus, quem
improbi ceu severissimum aliquando malorum
vindicem ipsa natura sentiente reformidant:
sicut e converso tranquillitas animi, ac spes,
quam probi ex bene factis perfentiscunt, evi-
denter demonstrat, existere Deum, qui ipsos
ob virtutem remuneretur. Porro nihil est,
quod habeant Athei, quo intolerabilem suam
dementiam tuentur; nobis vero sufficiat pau-
culas quidem, sed sane validissimas ex innu-
merabilibus, quibus non modo tota antiqui-
tas, sed & omnis recentior ætas pro demon-
stranda Dei existentia Bibliothecas implevit,
rationes adduxisse.

PRO-

PROPOSITIO II.

Non minus evidenter Unitas Dei demonstratur.

Ad aliud convertimur hominum delirantium genus, qui vel rebus creatis, iisque vilissimis Divinitatem attribuunt, & ea propter *Idololatræ* nuncupantur: vel duo, pluráve confingunt Entia ex æquo prima, increta, æterna, & prorsus independentia, quos proprie *Polytheos* appellamus. Priorum plenus olim fuit orbis; nullibi tamen fere major, quam in *Ægypto*, superstitione. En quam falso hac de causa *Ægyptios* rideat Juvenalis y).

Quis nescit, Volusi Bithenyci! qualia demens

*Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc, illa pavet saturam serpentibus
Ibin*

*Illic cæruleos, hic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur: nemo Dia-
nam,*

*Porrum, & Cæpe nefas violare, ac frange-
re morsu:*

*O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in
hortis*

Numina! - -

Ad posteriorum classem *Æones Valentini*, *Gnosticorum item*, *Marcionitarum*, & *Manicæ-*

nichæorum duo Principia, Bonum unum omnis boni fons, alterum malum malorum omnium origo reducuntur, quorum stultitiae præter hæreticos Albigenses Petrus Bayle z) impense favet. Ast enormis hic error sola concidit ratione naturali, quæ unicum existere Deum evidenter demonstrat. *Deus, si unus non est, non est,* sapienter olim ajebat Tertullianus. a) Nam si unus non est, etiam dici nequit summum, & in omni genere perfectissimum Ens; vel enim, si duo, plures forent, alter alteri æqualis, vel inæqualis esset? Si primum: neuter erit summum, & perfectissimum Ens; quia de ratione summi, ac perfectissimi Entis est, ut nihil ei adæquetur. Si vero alterum dicatur; jam aliquid in uno foret, quod in altero non reperiatur; istud ergo summum, & perfectissimum Ens appellari nequiret. Ad rem præsentem servit illustrissimum illud Xenophontis Dilemma. *Si plures Dii sunt, necesse est, eos esse vel pari, vel impari potentia: si impari, quo pacto debiliores sint Dii, ipsi viderint, qui plures admittunt. Si pari, & volens alium volentem impedit, res jam neque fieri, neque non fieri poterit, quod sine risu intelligi nequit.* Ast evidenter est res, quam, ut pluribus, quibus con-

z) Diction. Hist. & Critic. Art. *Manich.* a) Contra Marcion,

confirmetur, indigeat argumentis. Plurimas quidem, & integras nationes olim Polytheismo deditas fuisse legimus, hic tamen Deorum cultus neque ab initio orbis fuit, neque nunc ullibi viget, nisi forte apud paucissimos extrema coecitate percussos; dici proinde minime potest, errorem hunc detestabilem à lumine Naturæ fuisse profectum; imo, quod Minutius Felix ^{b)} aliquie testatum reliquere, sapientiores ad declinandam duntaxat superstitione plebis invidiam pluralitatem Deorum verbis professi, animo unicum supremum Numen agnoverunt; cumque ad explicandum sua sensa rationibus urgerentur, teste Orosio ^{c)} respondere soliti erant: *Non se plures Deos sequi, sed sub uno Deo magno plures ministros venerari.*

PROPOSITIO III.

Mundus, & omnia, quæ in eo sunt, quantumvis abjecta, & vilia, Divinæ Providentiae subjiciuntur.

Providentia Divina, si Nemesium ^{d)} audiamus, est *Voluntas Dei*, per quam omnia, quæ fiunt, apte gubernantur. hanc ad omnes res creatas, etiam viles, & minutissimas extendi omnium sapientum, recteque philosopho-

^{b)} In Octavio. ^{c)} L. 6. Hist. c. 1. ^{d)} L. de Nat. hom. c. 43.

Iosophantiam constans, & perpetua fuit per-
svasio. Legatur Tullius e) & Lactantius f)
qui luculenta de hoc argumento testimonia
producunt. Verum sunt homines, quos *De-
istas* nuncupamus, qui partim fatali omnia ne-
cessitati tribuunt, partim cum Machiavello,
Bayle, Philosopho de Sans - Souçi, aliisque
profanis hujus saeculi Viris pleno agmine post
Democritum, Heraclitum, & Epicurum ab-
euntes illa iniquorum verba g) impudenter
usurpant : *Quid novit Deus, & quasi per ca-
liginem judicat? nubes latibulum ejus, nec no-
stra considerat, & circa cardines cœli perambu-
lat.* Atque adeo Deum, quid agat humanum
genus, aut quo ordine sint res creatæ, non
curare arbitrantur : nempe in meridie cœcu-
tiunt noctuæ. Perpetua est rerum in hoc mun-
do existentium continuatio, constans ordo,
stabilis consensus, & admiranda in motibus
peragendis harmonia : non est ergo, cur om-
nia, quæ in eo sunt, Providentia, & consi-
lio supremi Numinis regi, & perpetuo admi-
nistrari negemus ; quemadmodum neque diffi-
teri valemus, ea non nisi ineffabili Divinæ
Mentis sapientia condi potuisse. *Non cernis,*
verba sunt S. Jo. Chrysostomi h) *quomodo cor-
pus hoc anima avolante defluit, & tabescit, &*

G 2 perdi-

e) L. 2. de Nat. Deor. f) L. de Ira Dei.

g) Job. c. 22. v. 13. & seqq. b) Homil. 10.
ad Pop. Antioch.

perditur? . . . Hoc ipsum profecto & in ipso fieret mundo, si ipsum reliquisset propria destitutum providentia. Si navigium sine gubernante non persisteret, quomodo subsisteret Mundus tantum temporis gubernante nemine? . . . Et quid dico navigium? casalum aliquis parvam in vineis compedit, & fructu ablato desertam reliquit, & neque duos sepe dies permanet, sed solvitur, & brevi cadit. Igitur tugurium quidem absque providente non staret; creatura vero tanta, tam pulchra, tam mirabilis . . . tantum temporis absque aliqua providentia stabilis permansisset? Non minus vero ad minima, quam ad maxima, Divina sese Providentia extendit; enim vero si Deus vilibus, minimisque neglectis præstantissima solum curaret, id vel ex eo fieret, quod res abjectæ ejus scientiam fugerent, vel quod iis providere non posset, vel, cum posset, curam eorum gerere nolle? nefarium est, quidquid obtendant Epicuræi Deistæ; nam si primum afferatur, Ignorans: si alterum, imbecillis: si tertium, & invidus, & negligens, & imitis jure optimo poterit appellitari. Audiatur S. Ambrofius i) Quis operator negligat operis sui curam? quis deserat, & destituat, quod ipse condendum putavit? si injuria est regere, nonne est major injuria fecisse? cum aliquid non fecisse, nulla injuria sit; non curare, quod feceris, summa inclemencia. Sed inde-

i) L. 1. de Off. c. 13.

indecorum Deo putant, si ad vilia se demittat, si tanta rerum terrenarum solicitudine tangatur, verenturque, ne tandem sub tanto negotiorum pondere fatiscat. At quantæ hæ inertiæ! Si Deum haud dedecuit vilissima condere, quæ jugiter etiam sine dedecore conservat, cur eum dedebeat vilissima curare? Numquid superbus est Deus, ut ad opera manuum suarum demittere sese nolit, aut forte à rebus abjectis contaminatur? quæ vero insania dicere, Deum à cura rerum vilium infici, dum neque Solem experientia teste ullæ cloacarum, quas indies collusfrat, fœditate inquinari videmus? quæ idem stultitia, infinitam Dei virtutem, Sapientiam, & omnipotentiam secundum virium nostrarum imbecillitatem dimetiri? Verum latet venenum: ut flagitiis tanto liberius vacent, mundo extorrem agunt Providentiam improbi. *Impo-
Juistis*, lamentatur apud Ciceronem k) Velle-
jus, *in cervicibus nostris sempiternum Domi-
num, quem dies, & noctes timeremus: quis
enim non timeat omnia providentem, & cogitan-
tiam, & animadvententem, & omnia ad se per-
tinere putantem, curiosum, & plenum negotiis
Deum?* Ita sane: Deum omnia curantem ju-
stum est, ut timeamus; ne excusa religione,
quæ negata Providentia subruitur, sine lege,
sine honestate vivamus cum Epicuræis, atque

G 3

De-

k) L. I. de Nat. Deor.

Deistis, sicut Equus, & mulus, quibus non est intellectus. Supereft, ut celebre illud argumentum Epicuri apud Lactantium l) resolvamus. *Deus aut vult tollere mala, & non potest: aut potest, & non vult; aut neque vult, neque potest; aut vult, & potest; si vult, & non potest, iubecillis est, quod in Deum non cadit. Si potest, & non vult, invidus, quod aequum alienum a Deo. Si neque vult, neque potest, & invidus, & imbecillis est, ideoque neque Deus. Si vult, & potest, quod solum Deo convenit, unde ergo sunt mala? aut cur illa non tolit?* Sic Epicurus. Dicimus ergo, Deum posse tollere mala, sed nolle; at ea propter invidus non est, sed summe sapiens, summe providus. Permittit mala moralia, ut illæsa maneat hominis libertas, locumque habeat five Misericordia, five Justitia vindicativa. Mala vero physica nulla sunt; quippe vidit Deus cuncta, qnæ fecerat, & erant valde bona m) Mala tamen esse apparent, si cum perfectionibus conferantur, licet reapse bona sint, tum quod aliqua huic noceant, alteri profint: tum quod per ea decor Mundi, ut pictura per umbram, elevetur; tum quod omnia fines suos optimos fortiantur, quos persæpe ignoramus. Malos etiam homines patitur Deus; at ne putetis, verba sunt S. August. n) Gratis

l) L. de Ira Dei c. 13. m) Gen. c. 1. n) In Psalm. 54.

tis esse malos in hoc mundo, & nihil boni de iis agere Deum: omnis malus aut ideo vivit, ut corrigatur; aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur. Si pictor novit, ubi ponat nigrum colorem, ut sit decora pictura, num quid nesciet Deus, ubi ponat peccatorem, ut sit ordinata creatura? Mira Dei Providentia circa Justorum, & impiorum disparem in mortali hac vita sortem vel maxime clarescit. Improbos hic ob quædam bona, quæ præstiterè, remunerat, ne æternū aliquid exigant: justos per adversa magis polit, quosdam in iis nævos tergit, magis in virtute radicat, odium præsentium inculcat, ut ad amorem æternæ felicitatis tanto expeditius eluctentur. Verbo: in omnibus ea sunt Divinæ Providentiæ indicia, ut excordem, & à natura deviantem opinemur, qui eandem in dubium revocaret.

PROPOSITIO IV.

Deus immediate concurrit ad omnes Creaturarum actiones.

C_{on}cursum Dei in mediatum, & immediatum partimur; Priori influit Deus in actiones entium creatorum, quatenus eisdem existentiam, agendique vim largitus est, qua sibi relictae effectus suos producere que-

ant: posteriori Deus non modo ad causæ, quam ad effectus existentiam concurrit. Ju-
vat autem & aliam concursus divisionem in
generalem, seu physicum, & specialem, sive
moralem commemorare; ille ad omnes
omnium causarum creatarum; hic ad quas-
dam solum quorundam entium creatorum
actiones extenditur. De concursu generali,
& mediato inter Philosophos non discepta-
tur; verum sunt, ait S. Augustinus ^{o)} qui
arbitrantur, tantummodo mundum ipsum factum
a Deo, cætera jam fieri ab ipso mundo; sicut
ille ordinavit, & jussit; Deum autem ipsum
nihil operari. Sunt, qui cum Durando, Au-
reolo, aliisque putant, Deum cum causis
creatis eo solum sensu concurrere, quatenus
eas condidit, vimque operandi eisdem con-
cessit, quæ jam pro lubitu absque novo, &
immediato concursu operari queant; hunc
proinde tanquam supervacaneum repudian-
dum esse opinantur. Sed quidquid velint
hi, plus aliquid Deo tribuendum esse cense-
semus, afferendumque, ab ipso vires causa-
rum secundarum in momenta singula conser-
vari, & idcirco omnes earum actiones ab
illo immediate concurrente ad effectum de-
duci. Hoc si negetur, consectarium est,
causas creatas in agendo a Deo non depen-
dere, quod profecto cum summo illius in
omnes

^{o)} L. 5. Super Gen. ad lit. c. 20.

omnes res creatas dominio, summaque harum ab ipso dependentia pugnat; quippe supremum Dei dominium id exigit, ut quodvis ens creatum quoad totam sui constitutionem per monenta singula eidem perfectissime subjiciatur, ab eoque dependeat; quod si vero absque immediato Dei concursu actionem suam ponere possit, ab eo quoad totam sui constitutionem non pendebit; cum Ens agendo alium statum obtineat ab eo, quem habuit, dum non operaretur. Neque contendat quis, fore, ut Deus ad omnes actiones immediate concurrendo evadat Auctor peccati: quemadmodum & eidem actiones hominum bonæ tamquam Auctori in acceptis referuntur. Enimvero concurrit Deus generaliter, & physice ad actum malum, ne scilicet hunc impossibilem reddat, hominisque libertatem tollat; ei tamen imputari nequit; cum peccatum non sit effectus; sed defectus, neque ex Divinæ, sed libera humanæ voluntatis electione procedat: Imo Deus vehementer illud aversatur, & adjectis pænarum comminationibus interdicit. Porro actus boni Deo tamquam Auctori tribuuntur; cum ad hos non physice modo, sed moraliter etiam influat. Peccatum igitur Deus nec elegit, nec approbat, sed, ne hominis, quem liberum fecit, libertas imminuat, permittit, nec ipsum lex ulla stringit,
qua

qua id impedire teneatur; quin magis summe congruum est, ut causas creatas secundum earum proprietates regat, liberumque ipsarum arbitrium integrum conservet, & permisso hominum flagitiis ad fines, quos ipse novit, sanctissimos utatur.

PROPOSITIO V.

Nihilominus Causas Secundas physice non Prædeterminat.

Causas creatas, ut operari valeant, opus habere immediato Dei concursu, una nobiscum sentiunt Thomistæ; at præter hunc præviam quamdam motionem physicam esse necessariam putarit, qua Creaturæ, ut agere possint, a Deo determinentur. Quamvis autem Præmotionem hanc ejus Patroni varie describant, nos tamen eam verbis Insignis Thomistæ P. Antonii Goudin Lemovicen-
sis p) exhibemus. Prædeterminatio phy-
fica, ait ille, est *Influxus cause primæ receptus non quidem immediate in effectibus, sed in causis secundis, quo Deus ipsis actualē efficacitatem inspirat, quo eas movet, & applicat, non solum objective, & moraliter alliciendo, & suadendo, sed etiam physice, & active interius inclinando, applicando, determinando, ac ultimam illam acti- vitatem, ad quam sequitur actio, influendo, &*

ideo

p) Metaph. Q. 4. Art. 2.

ideo dicitur *Motio physica*. Sed quia motio,
& applicatio virtutis activæ ad agendum est
prior natura, quam ipsa actio, sicut omnis via
est prior suo termino, & omnis causa suo effe-
ctu, ideo motio illa dicitur prævia motio, seu
Præmotio. Ita ille. Definitio hæc omnia
non quoad substantiam solum, sed etiam
quoad modum Præmotionis comprehendit.
Et si vero Sententia descriptam Prædetermina-
tionem sustinens admodum famosa sit, quo
minus tamen eam sequamur, duo potissimum
obsunt, unum est, quod isthæc Præmotio
causis necessariis superflua; alterum, quod
agentibus liberis esse noxia videatur. Super-
flua quidem est causis necessariis; cum hæc
si præter cœtera actus primi proximi consti-
tutiva paratus adsit Dei concursus, positis
omnibus ad agendum requisitis per suam
naturam ad agendum sint determinatae: ec-
cur autem id, quod sua natura, ut in actum
exeat, determinatum est, a Deo ad agen-
dum physice præmoveatur? At, quod ca-
put est rei, stante hac Thomistarum hypo-
thesi ipsa libertas humana, quæ salva sit opor-
tet, vix videtur ad captum exponi posse.
Evidem in eo sita est libertas exercitii, ut
Voluntas positis omnibus ad agendum ne-
cessariis possit agere, vel ab actu abstinere;
hoc vero integrum non manet Voluntati, si
physice prædeterminetur; neque enim in
signo

signo priori ad præmotionem potest agere; cum hæc juxta Thomistas ad agendum ita sit necessaria, ut sine illa nullum agens quidquam valeat operari: neque Voluntas posita præmotione potest non agere; cum juxta eosdem fieri nequeat, ut negatio actus cum physica Prædeterminatione componatur: quomodo ergo, & qua ratione Voluntati liber erit actus, quem ipsa omittere non valeat? Profecto quandocunque aliquod consequens sequitur necessario ad aliquod antecedens, tum in cuius potestate non est antecedens, neque in ejus potestate erit consequens; at vero in potestate Voluntatis humanæ non est Præmotio physica, ceu principium antecedens; hanc enim largitur Deus, cui vult, quando vult, & ad actus, ad quos ipse vult: itaque nec in potestate, voluntatis est actus ipse, quem elicit, tamquam effetus consequens. Quæ pro evincenda sua Sententia adferunt Thomistæ, fere sunt sequentia: Deum primam esse Cauſam ajunt, primum liberum, primumque Motorem, causasque proinde secundas ab eo vel maxime pendere: longissimam insuper textuum S. Scripturæ, Conciliorum, & Patrum catenam nectunt, e quibus rem omnem se confecisse gloriantur. Ast Deum & Causam primam, & primum liberum, & primum esse motorem ultra profitemur, tametsi res creatas physice non

non præmoveat. Est Causa prima dignitate; qua res omnes creatas in infinitum perfectio-
ne superat: Fœcunditate; qua singulis agen-
tibus vim operandi confert: Independentia,
& Concursu; quatenus Deus, ut agat, nul-
lius indiget, cujus tamen concursu immedia-
to Causæ secundæ, ut operari queant, opus
habent. Est quoque Deus primum liberum,
primusque motor; cum causis creatis, liberis
virtutem contulerit sese active determinandi,
atque voluntatem ipsam motione generali
versus Bonum in genere moveat, & motione
quadam speciali ad actiones supernaturales
excitet. Maximam etiam in rebus, causis
que creatis dependentiam a Deo reperiri di-
cimus, sed eam tamen, quæ libertati huma-
næ Voluntatis non officiat. Porro auctorita-
tes, quas adducunt, vel de Concurso Dei
simultaneo, vel de Præmotione morali dun-
taxat intelliguntur.

EX PHYSICA

GENERALI.

PROPOSITIO I.

Evidens est, existere Corpora.

Haud foret necesse realem Corporum existentiam argumentis demonstrare, nisi hæc ab Idealistis, & Ego istis in dubium vocaretur. Illi solas rerum corporearum ideas in mente, non ipsa corpora extra mentem existere, Mundum proinde universum nonnisi idealem esse, solasque substantias incorporeas in rerum natura dari profitentur. Hanc stultitiam primus aperte docuit Michael Angelus Fardella siculus, promovit Georgius Berkeley Hibernus, Arthurus Collier Anglus magis divulgavit: nec ab ea, si rumori fides, plane abhorruit Malebranche; & alter quidam Gallus teste P. Regnault r) totum hunc terrarum orbem meram illusionis esse scenam confinxit. Longius progressi sunt Egoistæ, qui omnia prorsus entia, praeter solum Spiritum suum, e medio sustulere. Verum Portenta hæc sunt, loquimur cum Tullio s) & miracula non differentium
Phi-

r) Tom. I. pag. 16. s) L, i, de Nat, Deor, c. 8.

Philosophorum, sed Somniantium. Atque ut Idealismum evertamus, nomine Corporis aliud non venit, quam Substantia quædam impenetrabilis, extensa, divisibilis, figuræ, ac posituræ capax, talisque naturæ, ut proprietates, & operationes illius per mechanicas valeant affectiones explicari; evidens autem est, substantias hujus generis extra mentem existere, ni per summum nefas dicere quis velit, Deum, qui Summa veritas est, nobis constanter illudere, ac mentiri, pative ut perpetuo fascinemur. Sane ipso naturæ rationalis ductu impellimur, ut censemus, impressiones in corpora nostra fieri, easque cum aliis corporibus extra nos constitutis connexionem quamdam habere; ipsa deinde sensatio exterior nobis rei cuiuspiam existentis, quam corpus dicimus, ideam vivaciter ingenerat, & a simplici, nudaque perceptione intima differt; magnum quippe discrimen inter ideam rei absentis, quæ per solam imaginationem reproducitur, & inter ideam dependenter ab actuali sensuum affectione in nobis excitatam deprehendimus. Testes hujus rei Idealistas ipsos compellamus, qui procul dubio, si vel modica ipsis rationis scintilla fulgeat, fatebuntur, illam ideam, qua fibi quantumcunque vivaciter imaginatur gladio jugulum peti, in immensum ab ea sensatione differre, quam percipiunt, cum
reaspe

reapſe jugulo gladius adplicatur. Verum quidem eſt, nos in errorem facile prolabi, ſi quæ earum conditionum, quæ ad bene ſentiendum neceſſariæ ſunt, deſideretur, præcipue ſi Mens officii ſui immemor nullo exameſte præhabito, quidquid adparet, præcipiti judicio ceu verum amplectatur; at nulum corpus existere, nihil non adparere Solum, ſenſus conſtanter falli, aut menti per ſenſus perpetuo illudi, hoc eſt enim vero, quod nonniſi ab idea hominis amentis proficiſci potest. Evidens idcirco eſt, corpora extra mentem existere, & Idealismum vaniſſimam eſſe hypothefin, nec dignam proinde, quæ vel ab homine defendatur, vel uberius a Philoſopho refutetur. Egoismus autem tam absurdus eſt, ut vehementer miremur, ullum fuifſe unquam, qui eidem patrocina-retrn.

PROPOSITIO II.

Præcipua Corporum naturalium affectio eſt Motus Localis, ſeu Translatio Corporis de loco in locum; huic opponitur quies, quæ in ſola motus privatione conſiftit.

Quemadmodum ſtolidius nihil eſt, quam evidentiſſimam corporum naturalium exi-

existentiam inficiari, ita vix major cogitari potest amentia, quam vel ambigere, motus-ne localis in rerum existat natura, vel eum ex hac penitus amoliri. Ast cum opinionum nulla sit adeo paradoxa, quæ suos non habeat patronos, etiam non defuerunt, qui sive cum Scepticorum, & Pyrrhonicorum turba Motum localem in dubium revocarent, sive cum Zenone, Parmenide, Melisso, atque Diodoro ē rerum universitate prorsus expunctum irent. En celebre illud Diodori sophisma - *Si quidquam moveretur, vel moveretur in loco, in quo est, aut in quo non est; at neque moveri potest in loco, in quo est, in eo enim manet, si in ipso est: neque in loco, in quo non est, ubi enim quidquam non est, ibi neque agere, neque pati quidquam potest; quamobrem quidquam non movetur.* t) Quam quidem insaniam, ut ē Diodori cerebro Herophilus Medicus excuteret, oportunam nactus est occasionem; quippe accersitus, ut luxatum Diodoro humerum restitueret, constanter negavit, humerum loco emoveri potuisse lepide inquiens: - *Aut emotus est ē loco, in quo erat, aut in quo non erat: at neque in quo erat, neque in quo non erat; igitur emotus non fuit.* - Revera deridenda potius, quam impugnanda sunt ejusmodi deliramenta; unde non immerito

) Apud Cl. P. Ferrari Tom. 2. Disp. 9. p. 343.

to Aristoteles, ut refert Sextus Empyricus ^{u)} homines istos *Statorios*, & non *physicos* appellavit; *Statorios* quidem à *statione*, non *physicos* autem, id est, non *naturales*; quoniam *natura est principium motus*, quem *sustulerunt dicentes: nihil moveri*. Certissimum igitur tememus, motum localem in rerum natura reperiri. Est autem Motus universim acceptus *juxta Aristotelem - x) - Actus entis in potentia, quatenus in potentia*; cum per motum omnem quædam veluti perfectio rei, quæ movetur, prout ad acquirendam formam aliquam tendit, intelligatur; hinc S. Augustinus: *y) - Motus omnis ad aliud est, cuius indiget, quod movetur*. Porro motus ita generatim sumpti præcipua species est motus *Localis*, quem etiam inter cœteras corporum naturalium affectiones principem habere locum existimamus: cuius quæ vere, & genuina sit notio, non ægre admodum est definire; enim vero duplex hucusque in re diversa Motus *Localis* descriptis prodixit: altera, quæ sive in Academia, sive in Peripato procula ad novissima usque Cartesii tempora in omni Schola viguit, & hodie tam Peripateticis, quam Neotericis in usu est: altera, quam è mythologica idearum suarum penu Gallus iste *Philosophus primus omnium hisce verbis*

z)

^{u)} L. 9. adv. Mathem. ^{x)} L. 3. Phys. c. 2.^{y)} L. de Immort. Animæ. c. 8.

z) expressit - *Motus localis...* nihil aliud est, quam *translatio unius partis materiae, sive unius corporis ex vicinia eorum corporum, quæ illud immediate contingunt,* & tamquam *quiescentia spectantur, in viciniam aliorum* - Scilicet quemadmodum locum duntaxat relativum, nullum vero absolutum, ita quoque repudiato motu absoluto relativum dumtaxat agnovit; hinc merito ab aliis vapulat, nec à nobis auditur. Profecto isthæc motus localis definitio minus accurata est quam ut ei Physicus ingenuus assentiatur; ea enim stante Mundus hic universus nullo pacto loco suo virtute Divina emoveri posset, neque, si initio temporis unicum à Deo corpus conditum fuisset, illud ab eo moveri localiter ulla ratione potuisset: quid etiam à vero magis alienum est, quam adfirmare, hominem in navi sedentem, aut pisces frusto glaciei inclusum, si secundo flumine abripiantur, localiter haud moveri? hoc autem ex Cartesiana Motus localis notione manifeste sequitur; cum & homo iisdem navis partibus, & piscis iisdem glaciei frustulis praesentes continuo sint, neque ex vicinia eorum corporum, quæ eosdem immediate contingunt, in viciniam aliorum transferantur. Nihil vero risu magis dignum est, quam cum a) docet, Motum localem omnem esse reciprocum, adeo quidem, ut concipi nequeat Cor-

H 2

pus

a) P. 2. Princip. n. 24. & 25. a) Loc. cit. n. 29.

pus A ex vicinia corporis B transferri, nisi simul & corpus B ex vicinia corporis A transferatur; quasi vero fabulosum illud in Physica locum haberet b) -

*Provehimur portu, Terraquæ, Urbesque
recedunt.*

& quasi absurdum non foret cogitare, Cœlum non posse moveri circa Terram ab Ortu in Occasum, quin Terra pariter ab Occasu in Ortum cieatur. Itaque in definienda Motus localis natura communem amplectimur dicendi modum, quem nobis S. Augustinus c) suppeditat inquiens - *Nihil aliud est Motus localis, quam de loco in locum transitus:* neque dubitamus, quin per definitionem hanc magis, meliusque notio illius, quam per illam exhibetur. Motui opponitur quies, quam formaliter in ipsa motus privatione sitam esse tuemur; enimvero cum quies aliud nihil sit, quam permanfio rei in eodem loco, res vero hoc ipso in eodem loco permanere censeatur, quod omni sit motu destituta, non alio sane ex capite quiescere dicitur corpus, quam quod nullus in ipso motus habeatur: sicut spatium quoddam eoipso præcise obtenebratum est, quod nullum in eo lumen existat: igitur quies formaliter consistit in privatione motus, non secus ac tenebras formaliter in privatione lu-

cis

b) Virgil. Æneid. I. 2.
c. 6.

c) L. 2, de Ord.

cis collocamus. Hic iterum procul à vero deviat Cartesius, dum ait d), *Magno nos in hoc præjudicio laborare, quod plus actionis ad motum requiri arbitremur, quam ad quietem;* cum, ut loquitur Antonius le Grand e), qui Cartesiana dogmata in compendio exhibuit, quies ceu *Permansio in eodem situ*, sit quid positivum, imo magis, quam ipse motus; atque à Solo Mentis errore oriatur, *quod quietem ut quid privativum imaginemur, Motum autem, ut quid positivum, quoniam unum à voluntate nostra pendere experimur, aliud autem quasi nobis non sentientibus contingit;* inferunt præterea Cartesiani, dum quietem à nobis in motus privatione constitui audiunt, motum in privatione quietis æquo jure collocandum esse; cum etiam Corpus eoipso moveatur, quod quiete careat: quemadmodum hoc ipso quiescit, quod motu fit destitutum. Verum ab ideis suis, quas falli, & fallere nescias esse dicunt, falluntur cum duce suo Cartesiani, dum quietem esse positivi quidpiam arbitrantur; præterquam enim, quod ii situm cum loco confundant, atque adeo quietem duntaxat respectivam, non secus ac de motu dictum est, in rerum natura dari agnoscant, ex idea permanfionis in eodem loco rite haud colligunt, quietem non esse meram motus pri-

H 3

va-

d) L. cit. n. 26.
c. 20. n. 7.

e) Institut. Phil. Part. 6.

vationem, cum Permansio Corporis in eodem loco nihil aliud formaliter sit, quam non Recessus ejusdem à loco, in quo est. Quod porro plus actionis ad motum, quam ad quietem requiratur, quodque Mens non erret, dum quietem ut quid privativum, motum autem ut quid positivum existimat, & adeo paritas à motu ad quietem, aut vicissim pessime ducatur, discant ex Malebranchio, qui non ultimum inter Cartesianos locum tenet: en verba ejus: - f) *De motu res secus se habet, ac de quiete. Multiplices in infinitum sunt diversi motus: possunt recipere magis & minus.* Sed cum quietes nihil sint, non possunt inter se differre. Idem Globus, qui duplo majori celeritate uno tempore quam alio procedit, duplo majori etiam vi, aut motu hoc tempore, quam alio praeditus est. Sed globus dici non potest uno tempore plus habere quietis, quam alio. Certe sola privatio motus sufficit, ut Corpus quiescere concipiatur; at vero Sola quietis privatis satis non est, ut Corpus tarde potius, quam velociter, potius perpendiculariter, quam horizontaliter, magis secundum rectam, quam secundum curvam lineam moveri intelligatur: variae scilicet sunt motus affectiones, quarum sufficiens ratio ex sola quietis privatione nequit derivari.

f) *La recherche de la Verite l. 6. Ch. 9.*

PROPOSITIO III.

Causa motus continuati projectorum est Impetus Corporibus projectis a movente communicatus.

Verum enimvero continuatio motus in corporibus projectis illi ipsi vi impressæ, quam impetum dicimus, adeo commensuratur, ut experientia demonstrante ea corpora stante eadem massa, cœterisque paribus, quo fortior est impetus, eo validius moveantur, atque diutius in motu perseverent. Quod quidem ita verum est, ut quemadmodum sine impulsu ad motum hunc ipsum motum non inchoant, ita ad motum semel impulsa, ni adsit quidpiam, quod hunc eorum impedit statum, eundem continent, in motu constanti persistura, si omnis abesset exterior causa, quæ eundem vel fisteret, vel retardaret. Idcirco ut Corpus inchoatum suum motum continuet, alia præter impetum causa non indiget, ac perinde prorsus se habet ad eum retinendum, ac ad quietem, figuramque suam conservandam. Evidem ut statum quietis suæ continuet, aut figuram suam retineat, ea causa sufficiens est, quæ ipsum ad quietem determinavit, aut hanc ei figuram impressit, omnisque causa exterior absit, a qua vel ejusdem quies turbetur, vel figura immutetur. Quare necessarium haud est va-

nas constituere hypotheses, in quibus causa motus continuati projectorum vel aëri a tergo moti Corporis recurrenti, illudque ad motum continuandum propellenti cum Cl. P. de Chales: vel atomis ab impellente in corpus motum immisxis, illudque urgentibus cum Gassendo; aut Vi inertiae cum Newtonianis tribuatur. Primum enim sustineri minime potest; cum juxta doctrinam ipsius Aristote lis, quem P. de Chales pro sua sententia laudat, corpus in vacuo possibili motum in infinitum moveretur, & alioquin in vacuo Boyleano motum corporum minoris resistentiae causa & celeriorem, & diutiorem esse obser vemus. Atomos Epicuræas, quas ab im pietate purgavit Gassendus, ex aliis nihilominus capitibus Philosophia exturbandas, om nemque proinde, quæ eisdem superstruitur, hypothesis in vitro fragiliorem esse, Philosophi jam dudum satis ostenderunt. Vim inertiae, cuius nomine juxta Cl. P. Franc. Jacquier Ord. Minim. insignem Newtoni Commenta torem g) illa venit *Proprietas*, qua *Corpora Statum suum vel motus, vel quietis perpetuo tueri conantur*; & quam ejus Patroni peculiare Corporis attributum a cæteris omnibus distinctum esse docent, vix in rerum natura dari existimamus; tum quod actiones adeo diverse, imo oppositæ (cujusmodi sunt *Actio re-*

resistentiæ contra motum in Corpore quiescente pro quiete retinenda; Actio resistentiæ adversus quietem in corpore moto pro motu conservando; Actio resistentiæ in Corpore tardius moto contra celeriorem pro motu tardiore) ab eadem vi Corporis proficiunt posse non videantur; tum quod resistentia, qua Corpora in quiete posita motui, vel tardius mota celeriori motui resistunt, gravitati eorum massis proportionali: resistentia vero, qua Corpus motum nititur contra obstacula, impetui prius impresso commodius valeant adscribi. Neque hic moramur Cartesium, qui Deum ex machina vocat, atque immediatum omnis motus tam inchoati, quam continuati auctorem esse adfirmat; hæc enim philosophandi methodus quam dedebeat Physicum, jam alibi tetigimus.

PROPOSITIO IV.

Motus reflexus non ab impetu, quo Corpus mobile motu directo in obicem ferebatur, sed a solo fere Corporis aut reflectentis, aut reflexi, aut utriusque simul elaterio habetur.

Cartesii quidem, atque Gassendi ea fuit opinio, ut reflexionem omnem a projiciente causari arbitrarentur; at si perpendamus, impetum, quo mobile primum lineam incidentiæ directe describebat, pro medii

varietate diversa quoque ratione minui, atque etiam, si in obicem omnino resistentem Corpus projectum incurrat, penitus interimi, nemo non arguet, necessarium esse, ut priore destructo novus in reflexione impetus producatur. Ita vero usuvenit, ut projectorum impetus eo debilior evadat, quo major est Corporum occurrentium renisus. Hinc in luto citius, quam in aqua, in hac prius, quam in aere motum Corporum projectorum cæteris paribus fisti videmus: igitur si paries, aut aliis solidior obex occurrat, impetus Corporis incidentis omnino perimetur, neque Corpus secundum lineam reflexionis resiliet, nisi ad novam hanc directionem ab elaterio determinetur. Est autem Vis elastica ea corporum affectio, qua ipsa sive tensa, sive compressa ablata potentia premente, vel tendente pristino situi, & figuræ sua veluti sponte sese restituunt. Hæc pro conditione Corporum major, aut minor est, in aliis modica, in quibusdam etiam plane nulla. Quod si vel obicis, vel Corporis impacti, vel utriusque simul vegetius, fortiusque sit elaterium, majorem: si exiguum, aut nullum, modicam quoque, vel nullam Corporum reflexionem experimur; quod quidem discrimin in globulis Chalybeis rite temperatis, eburneis item, ferreis, plumbeis, & ex molli argilla conflatis, si ex alto

in

in incudem immittantur, luculenter est videre. Revera si impulsus ille prior unica foret motus reflexi causa, ratio haud reddi sufficiens posset, cur globus ferreus e tormento bellico in murum facco laneo munitum irruens nec penetrret, nec resiliat, sed effracto impetu ad muri pedem ruat, cum tamen & impetus, & Corpus ejus determinationi obsistens adsit: Hoc vero in Sententia nostra facillime expeditur, dum globum ideo dicimus non resilire, quia molioris lanæ elaterium inertius est, quam ut tantam repellere molem valeat. Id autem pro adversa Opinione non leve quibusdam fundamentum videri posset, quod corpora nunnula in planum illis resiliant, tametsi omni vi elastica & corpus incurrens, & obex sint destituta: quis enim credat, siue incudem, siue globulum chalybeum, si in eam ex mediocri altitudine demittatur, adeo in ictu compri-
mi, ut partibus deinceps ob vim elasticam sese restituere conantibus ad notabilem altitudinem resiliat? Mira quidem hæc esse vi-
dentur, & creditu ardua forent, si eam par-
tium compressionem Sensu quis dimetiri magis; quam ratione colligere vellet. Ostendit porro Cl. Mariotte h) præfatam partium compressionem etiam in Chalybe, aliisque corporibus solidioribus locum habere, quod
cla-

clarissimo experimento comprobavit: Scilicet in incudem sebo illitam globulum eburneum demisit, comperitque, vestigium rotundum non modo majus, quam contactus permittat, sed eo etiam amplius, quo altius decidit globus, in incude fuisse relictum, nec ullam tamen sive in globulo, sive in incude complanationem post impactum adparuisse; quo manifestum redditur, globulum eburneum, aliaque corpora elastica in ictu comprimi, partes tamen eorum adeo celeriter situi, figuræque pristinæ restitui, ut nulla in iis post ictum compressio, aut partium complanatio ope sensuum distinguatur. His non obstantibus fatemur tamen, reflexionem, si valde obliqua sit, partim ab elastica Corporis repellentis vi, partim ab impetu directo, cum iste tum non plane pereat, proficisci: uti neque negamus, ab impetu priore, quo Corpus in obicem ferebatur, si ille fortior sit, resiliuntiam quoque non mediocriter augeri; cum in hypothesi, quod alterutrum, vel utrumque elaterio polleat, partes in eo casu validius compressæ validius itidem sese restituere nitantur.

PROPOSITIO V.

Corpora gravia ex alto libere demissa motum suum accelerant, & quidem in minoribus saltem distantiis fere secundum progressionem Galilæanam numerorum imparium ab unitate numeratorum.

*C*orpora gravia, dum ex alto libere descendent, motum suum accelerare, sive æqualibus temporis partibus inæqualia, semperque majora spatia percurrere, jam olim docuit Aristoteles *i*), idque Philosophi tam Veteres, quam Recentiores communi calculo semper agnoverunt, ut adeo in proverbium abierit: *Motus in fine velocior.* Quare aërem verberat Rodericus de Arriaga, dum nulli solido innixus fundamento post Simplicium repudiato communi omnium sensu singularem suam opinionem *k*) proponit, aliósque ad eam tuendam invitat. Nimis quippe apertum est, lapidem eo majorem ictum in subjectum corpus infligere, idque validius ferire, si ex majori, quam si ex minori altitudine delabatur, manifesto indicio, id non nisi ex celeriori motu, quem lapis in descensu acquirit, oriri. Profecto cum lapis initio sui de-

i) L. I. de Cælo. c. 8. k) Disp. 4. de Elementis. Sect. 5. Subsect. 3.

descensus lente moveatur, si motum suum non acceleraret, sed æquabiliter descenderet, observante Cl. P. de Chales 1) spatium aliquod exiguum 15. pedum percurrendo enormi annorum intervallo uteretur, quod quam absurdum, quamque falsum sit, nemo est, qui non videat. Ipse vero Vir hic Clarissimus *m)* periculo exactissime facto, saepiusque repetito sese deprehendisse testatur, grave corpus à se libere demissum quovis semiminuto sequente majus, & amplius spatium percurrisse. Quid plura? propria quivis experientia rei veritatem poterit edoceri: cadat e. g. lapis ex altitudine 20. ulnarum, totumque Spatium intervallo quatuor penduli vibrationum percurrat, tum ex altitudine 40. ulnarum demittatur; palamque fiet, numerum vibrationum, quibus hic alter motus commensuratur, non jam duplicatum iri, quemadmodum duplicatur altitudo, sed fore, ut sex circiter vibrationum intervallo lapis deorsum labatur, quo adparet, æqualibus temporis partibus inæqualia, semperque majora spatia confici, adeoque motum in libero gravium descensu accelerari. Qua vero proportione corporum gravium acceleratio fiat, Viri in mathematicis, ac physicis disciplinis versatissimi solerter inquisiverunt: Attamen Veteres inter, Re-

cen-

1) L. 2. Stat. Prop. 22. *m)* Loc. cit.
Prop. 1.

centioresque Philosophos (verba sunt Cl. P. Ferrari n^o) eminet hac in re Galilæus, quippe omnium primus ordinem, quo gravia suum accelerant motum & feliciter detexit, & rationibus, atque experimentis demonstravit. Censet autem Vir Cl. accelerationem gravium fieri secundum progressionem numerorum imparium ab unitate numeratorum 1. 3. 5. 7. 9. &c., ita ut, si corpus grave libere demittatur, suoque relinquatur genio, primo temporis minuto pedem 1, secundo, 3, tertio 5, quarto 7, quinto 9. pedes &c. conficiat; quem accelerationis ordinem præter Galilæum Ricciolus quoque, o) Merlennus, & alii Viri Clarissimi præsertim in Observatorio Regio Parisiensi adhibita diligentia exploraverunt, probaruntque; his proinde, qui in præfatæ progressionis confirmationem varias adferunt experientias, quibus tamen adducendis prolixitatis vitandæ gratia abstinemus, omnino adsentiendum est, ita tamen, ut motus gravium accelerationem in descensu fere, & saltem in minoribus distantiis (quod studiose additum fuit) secundum progressionem numerorum imparium fieri arbitremur; sunt enim, qui memoratum calculum non prorsus accuratum esse, nec eam progressus rationem ad quamcunque, etiam majorem distantiam animadverti dicant, & quædam experimenta,

quæ

^{a)} Tom. 2. Disp. 4. Q. 7. o) Almagest. nov.
1. 2. c. 21.

quæ Theoriæ Galilæanæ non omnino videntur consentire, in medium adducant. Prius etiam, quam huic propositioni colophonem addamus, perbene notandum est, ea, quæ de acceleratione corporum gravium libere descendentium differuimus, locum non habere, ubi sensibilis medii resistentia intercedit; quippe hæc facit, ut corpora gravia non jam accelerato, sed æquabili motu deorsum ferri incipient.

PROPOSITIO VI.

Principium attractionis, ut passim à Newtonianis explicatur, in Physica probare non possumus.

Si audiatur Cl. Isaac Newton, ille attractio-
nem, qua duo corpora ad se invicem ten-
dunt, vel mutuo sibi cohærent, pro univer-
sali habuit phænomeno, cuius tamen aliqua
fortassis causa ex mechanismo reddi posset;
ita sane Summum hunc Mathematicum, qui
primus omnium celebre Attractionis nomen
in Physicam invexit, sensisse testantur ejus
verba p) sic differentis - *Qua causa efficiente
hæ attractiones peragantur; id vero non inquiero:
quam ego attractionem adpello, fieri sane potest,*

ut ea efficiatur impulsu, vel alio aliquo modo nobis ignoto. Hanc vocem attractionis ita hic accipi velim, ut in universum solummodo vim aliquam significare intelligatur, qua corpora ad se mutuo tendant, cuicunque demum cause attribuenda sit illa vis -- quod alibi saepius iisdem fere verbis repetit. Phænomenon hoc inficiari non audemus; cum luce meridiana clarior sit, accessus, & cohæsiones Corporum dari, neque proinde de Attractione hoc sensu intellecta ulla subesse dubitatio potest; quæ tamen hujus efficiens, & immediata sit causa, per hypotheses explicare nitimus, quin certitudinem adsequamur. Verum hæc ipsa Attractio multum nativæ sinceritatis amisit, ait Cl. Abbas Noletus q), postquam e manibus Newtoni ad ejusce aſſeclas transiit. Quippe Cotes, Muschenbroek, Clarke &c. Attractionem legem naturæ universalem, seu Princium quoddam motuum naturalium esse dicunt, cuius præter Dei voluntatem nulla alia causa exterior valeat adsignari: hinc ad mentem eorum Corpora principium aliquod activum in se possident, vi cuius corpora sua velut sponte ad se nituntur, ruunt, & se contingentia cohærent perinde, ac si a vi externa ad se invicem premerentur. Vim istam,

q) Phys. Exper. Tom. 2. in Append. Lect. 8.
de Tubis Capill.

istam, quam jam attrahentem, jam gravitatem adpellant, quoad extensionem, quoad genera corporum, quoad tempus universalem esse contendit Samuel Clarke. r) Densitati quoque materiæ cœteris paribus respondere proportionaliter, & in ratione inversa quadratorum distantiæ decrescere, corporibus omnibus, singulisque eorum inesse moleculis docet Gravesande s). Nos vero vim Attractricem hoc secundo modo expositam, cum certissimis Physicæ principiis aduersetur, omnino rejiciendam esse censemus; Enim vero res nimis aperta est, a corpore, ni prius moveatur, motum alteri corpori non communicari; omne item corpus in motu positum alterius corporis impactu motum suum vel subito, vel paulatim deperdere, neque corpus ullum in subjectum distans actionem suam naturæ viribus exercere: his autem receptis in saniore Physica principiis nova hæc Attractionis Newtonianæ lex palam refragatur; juxta hanc nempe nihil solemnius est, quam Corpus unum intrinsece per vim quamdam innatam aliud trahere, ab eoque trahi, neque Attractionem hanc alterius corporis etiam majoris occursu impediри, ut adeo gravitatio isthæc Solem inter & Lunam vigeat, tametsi Tellus interponatur:

neque

r) Not. in Phys. Rohault. P. 2. c. 28. Art. 13.

s) Elem. Phys. §. 4047, & seqq.

neque adfirmare dubitant Newtoniani, inter corpora remotissima e. g. Saturnum inter, atque Tellurem vacuo coacervato mediante, attractionem exerceri. Præterea tam dissimiles, & contrariæ sunt leges, quibus phænomena ex attractione derivari solita subjiciuntur, ut una omnium efficiens causa esse nequeat; quocirca plura attractionum genera admittantur, est necesse, atque adeo Vis attrahens, quæ densitati materiæ proportionaliter respondeat, quæque in ratione inversâ quadratorum distantiæ intensive decrescat, male pro universali naturæ canone deprædictatur. Demum quid prohibet, quo minus Vis attractiva, si naturam ejus penitus perpendamus, cum amore Platonico, quo simile fertur in simile, cum vi repræsentativa Leibnitii, cum Sympathia, & Antipathia Veterum confundatur, atque in censum veniat occultarum qualitatum, quas ipsi repudiant Newtoniani? Quæramus ex Attractionis hujus Patronis: cur corpora quædam, ut Oleum & Aqua permisceri non possint, cum tamen Vis attractivæ omnibus materiæ partibus ex æquo conveniat? reponent aliqui, hoc ea de causa non fieri, quod quædam corpora natura sua recedere ab invicem nitantur; quia se repellunt. Verum *esine sermo hic philosophicus?* quærerit Cl. Noletus t^o, an non ve-

rendum, ne si huic adsuescamus, & attractionem
 & repulsionem partium promiscue pro motuum
 causa adsignemus, frivola nos, ac levissima ra-
 tione a diligenti rerum inquisitione, ac subinde
 utilissimarum detectione ipsimet intercludamus?

PROPOSITIO VII.

*Per absolutam Dei potentiam fieri potest,
 ut duo, vel plura Corpora in eodem
 loco simul existant.*

Simultanea duorum, pluriumve Corporum
 in eodem loco existentia recepto in Scho-
 lis usu Compenetratio adpellitatur. Hanc
 qui naturæ viribus fieri posse contendat, sci-
 mus neminem; verum sunt nonnulli, qui Dei
 quoque potentiam in eas redigunt angustias,
 ut dicere haud vereantur, vim in eo deside-
 rari, qua præstare queat, ut duo corpora
 compenetrentur; ad horum classem præter
 Epicuræos ex antiquioribus venit Durandus,
 ex Recentioribus Cartesius, Lockius, Anto-
 nius a Genua cum Leibnitzianis. Adverfus
 hos cum communi five Philosophorum five
 Theologorum sensu existimamus, per abso-
 lutam Dei virtutem posse fieri, ut duo, vel
 plura corpora in eodem loco simul existant;
 Quippe facere valet Deus, quidquid nullam

implicat contradictionem: nulla vero in com-penetratio-ne Corporum contradic-tio interce-dit, nec ulla adferri ratio positi-va potest, qua impenetrabilitatem actualem, seu potius impenetratio-nem ad essentialia Corporis con-stitutiva pertinere vel probabili-ter ostendere-tur. Constan-ts certe, atque diurna sen-suum experientia, qua videmus Corpus quod-vis ita in loco exis-tere, ut pro eo tempore omne aliud Corpus ex eodem loco exclu-dat, id solum nobis exhibet, quod confide-ratis naturæ legibus fieri debet, non vero evincit, impenetratio-nem in idea Corporis adeo relucere, ut salva ejus essentia, & ma-nente Impenetrabilitate radicali ea abesse nequeat. Cum igitur Impenetratio ad essen-tiam Corporis non pertineat, neque cum illa, quoniam merus est Impenetrabilitatis ra-dicalis effectus, nexus necessario conjungatur, mutari absolute, tollique virtute Divina potest, ut adeo nulla sit repugnantia, quin corporum Compenetratio fiat. Discimus præterea corporum compenetratio-nem non modo nullam involvere contradictionem, sed Virtute Divina reapse nonnunquam acci-disse. Sic Christus illæso Maternæ Virginitatis claustro natus est: sic & ipse lapidem sepulchri u) & januas clausas x), cum ad discipulos ingrederetur, penetravit. Dicere

I 3

autem

u) Matth. 28. x) Joann. 20.

autem cum Durando, dilatum fuisse clav-
strum virginale, cum Christus nasceretur,
ejusque Corpns in brevissimum, & angustum
adeo compendium fuisse redactum, ut facile
sive per sepulchri, sive per januarum rimas
transierit, non minus temerarium est, quam
ineptum. Primum equidem summæ deroga-
tæ B. V. integritati, quæ tanta post partum
extitit, quanta ante partum; *Fas enim non
erat, (verba sunt S. Aug.) y): ut per ejus
adventum violaretur integritas, qui venerat
fanare corrupta.* Alterum Ecclesiæ sensui,
& Sanctorum Patrum effatis haud videtur
esse consentaneum; audi S. Jo. Damaxenum,
qui z) ita loquitur: *Per quem, quæso, locum
pertransisset, num per foramen aliquod, aut per
aliam locum patentem? nequaquam; sed per
januas clausas, præpotenti & divina virtute
eas penetrando.* Illa quoque compendiaria,
& violenta Corporis constrictio, præterquam
quod sine omni compenetratione capi vix
possit, non absque gravi Corporis alteratione
facta fuisset, quæ tamen impassibilitati glo-
riosi Corporis Christi Domini omnino repu-
gnat. Itaque si revera virtute Divina Cor-
porum compenetratio peracta est, jam aper-
tissimum redditur, ne minimam quidem in
hoc contradictionem latere. Desinat ergo

An-

y) Serm. 6. de Nativ. Domini. z) L. 3. de
Fide Orthod. c. ult.

Antonius Genuensis velut ex tripode oracula fundere, & Compenetrationis repugnantiam eo ex capite inferre, quod illa concipi nequeat, nisi duo corpora, seu, ut ipse loquitur apud Cl. P. Storchenau, a) duæ substantiæ formaliter extensæ in unam, eandemque Substantiam prorsus indistinctam mutari intelligentur. Falsum quippe, & a veritate alienissimum est, dum inde arguit, fore, ut duo Corpora in unum, idemque indistinctum abeant, si compenetrentur; enimvero duo semper quoad entitatem, & quoad locum formaliter acceptum persisterent; cum ad multiplicationem fundamentorum etiam sequatur multiplicatio relationum; forent autem unum, idemque Corpus habito respectu ad locum materialiter, & extrinsece sumptum, in quo nihil omnino latet absurdum.

PROPOSITIO VIII.

Neque repugnat Replicatio, seu simultanea ejusdem corporis in duobus, vel pluribus locis existentia.

Loquimur de Replicatione circumscripiva; cum neque de Definitiva, neque de Mixta ullus detur in Scholis Catholicis dubitandi

I 4 locus;

a) Cosmolog. Sect. I. c. 5.

locus ; illius exemplum in pluribus habemus hostiis consecratis , in quarum singulis , & quibusvis minimis singularum particulis totus existit Christus : hæc vero , sive mixta in Christo itidem reperitur , quem in Cœlis circumscriptive , & simul in Augustissimo Altaris Sacrameuto definitive existere credimus . Dubium igitur duntaxat est , fierine per absolutam Dei potentiam valeat , ut Corpus unum , idemque in duobus , plurib[us]ve locis adæquatis simul ita existat , ut Corpus sit in singulis locis totum , & singulæ partes corporis singulis loci partibus respondeant . Hanc Replicationem simpliciter , & absolute repugnare docet Schola Thomistica : ast si quæ repugnantia hujus ratio foret , alia sane potior non occurrit , quam quod corpus unum posita Replicatione unum esse definens pro loci multiplicatione & ipsum multiplicaretur ; hæc vero quam enervis sit ratio , facile quivis videt : Nam loco multiplicato respectus duntaxat aliquis ad coexistentia simultanea , qui corpori omnino externus est , non vero corpus ipsum multiplicatur ; certe corpus non evadit multiplex , sed unum remanet , tametsi per plura temporis momenta in eodem , aut in pluribus successive locis existat . Eruuntur hæc ex ea regula , quæ docet , plurificato posteriore necessarium haud esse , ut prius plurificetur , si posterius priori per accidens adveniat .

niat. Sed edicant Thomistæ, quo fundamen-
te possibilitatem Circumscrip*tivæ* Replicatio-
nis inficientur, dum tamen una nobiscum Re-
plicationem mixtam qua Christus in Cœlis cir-
cumscriptive, & in SS. Eucharistiæ Sacra-
mento definitive existit, absque omni hæsi-
tatione admittunt? num major forte in ea,
quam in hac efficienda difficultas? aut quam
tandem ea repugnantiam implicat, quæ si in
illa est, non ex æquo, imo magis in hac re-
periretur? simplex in Replicatione circum-
scriptiva miraculum est, in mixta duplex oc-
currit: alterum, quo Corpus idem in pluri-
bus existit locis, quod Replicationi etiam Cir-
cumscriptivæ convenit; alterum, quo in lo-
co indivisibiliter ponitur, cum tamen sua na-
tura ad locum extendi petat: igitur si duplex
in uno miraculum non repugnat, ecur sim-
plex repugnaret? Attamen, ut omnis fere
Thomistarum cavillatio, & adparens contra-
dictio tollatur, præ oculis habenda sunt, quæ
Scotus b) subtiliter adnotavit; scilicet rem
replicatam naturaliter ea omnia comitari, quæ
eidem physice uniuntur; tum quod subjectum
omnibus iis, quæ ipsi unita sunt, propter
unionem spectatis naturæ legibus exigat non
carere: tum quod Deus etiam in miraculis,
nisi ratio peculiaris accedat, secundum rerum
exigentiam, quantum ratio miraculi permit-

I 5

tit,

b) 4. Dist. 10. Q. 2.

tit , operetur. Porro et si attributa , & proprietates , quæ subjectum immediate respi- ciunt, atque à loco essentialiter non pendent, quæque idcirco ratione subjecti, & non solum ratione loci inter se pugnant, corpori replicato æque parum, ac non replicato convenire valeant; quoniam ea , quæ ratione subje- cti mutuo sese excludunt , in eodem simul subjecto confistere nequeunt: haudquaquam tamen repugnat , quominus attributa opposita , si oppositio unice in loco fundetur , corpori replicato competere possint ; illa enim , cum ad diversas referantur ubicationes , contradictionem non involvunt; ut adeo non detur absoluta adfirmatio , & negatio ejusdem de eodem , sed solum cum limitatione - *In hoc: in illo loco;* secus nempe , ac leges contradictiorum exigere videntur. Id præte- rea veluti certum existimamus , virtutem acti- vam rei locatæ per replicationem nec inten- sive, nec extensive crescere, nisi Deus rei re- plicatae novas per aliud miraculum vires ad- jiciat; cum replicatio localis rei omnino ex- trinseca sit, neque ad vim agendi ullo pacto pertinere dignoscatur.

PROPOSITIO IX.

Vacuum disseminatum in rerum natura existit.

Non ut vulgus, sed juxta Physicorum phrasem de Vacuo loquimur, cuius nomine spatium intelligunt una pluribusve superficiebus terminatum, omnis prorsus corporis tam conspicui, quam inconspicui expers, aptumque, ut repleatur. Si spatii amplitudo sit notabilis, *Coacervatum*: si insensibilis, & exigua, per corporum poros hinc inde multipliciter dispersa, *Vacuum disseminatum* dici consuevit. Posterius hoc (de priori enim deinde differemus) in rerum natura existere, missis rationibus aliis, quarum non paucæ praesto sunt, vel ex sola corporis fluidi natura comprobamus. Enimvero fluidum omnne suo genio relicturn diffluere quoquoversus, & cuivis facile pressioni cedere testatur experientia, quo validum argumentum conficitur, omne fluidum est moleculis reipsa divisis, & a se mutuo dissociatis immediate constare, neque proinde ullum fluidi genus continuum esse, quidquid Cl. P. Franciscus de Lanis c) in oppositum urgeat; in continuo enim partes ita sunt copulatae, ut una earum nec levissime valeat moveri, quin omnes etiam cœteræ juxta

ta eandem motus directionem abripiantur. Insuper indubitatum esse supponimus, particulas corporis fluidi non secundum planam notabilem superficiem, sed in puncto, vel quasi puncto se tangere; nam admisso earum secundum planam superficiem contactu adeo sibi mutuo adhærerent, ut sibi relictae neque disfluere quoquoversus, neque prementi potentiae ad quamcunque directionem cedere possent. Porro in puncto, vel quasi puncto sese contingere, Geometria demonstrante, nequeunt, nisi sphærica, vel figura sphæræ analoga sint affectæ. Inde vero quis non videat sua velut sponte deduci, nullum fluidi genus adeo continuum existere, ut inter componentes ejus particulas inania quædam spatiola non intercipiantur, à qua lege neque subtilissimum ætherem exemptum esse volumus, fieri siquidem posse non videtur, ut moleculæ vel perfecte sphæricæ, vel proxime ad hanc figuram accedentes in puncto sese, vel quasi puncto tangent, spatiumque simul circa idem punctum perfectissime repleant; constat enim ex Mathesi, id nonnisi triangulis, quadrilateris, hexagonis regularibus proprium esse. Sed neque si de solidis loquamur, ullum fluidi genus ita accommodatum esse novimus, ut spatio la, porulosque componentibus corporum solidorum particulis interjectos exacte replete; enimvero cum fere innumerarum Geo-

metricarum species in componentibus mixtorum naturalium particulis sit reperi, manifeste sequitur, nullum quoque dictarum figurarum genus dari quod spatiola illa, porulive non præferent: quocirca his omnibus exacte replendis moleculæ sphæricæ, vel figuræ sphærularum proximæ, quæcunque demum sit fluidi natura, nequaquam sunt accommodatæ: igitur necessarium est, ut Vacuum disseminatum vel solis fluidi legibus rite expensis in rerum existere natura fateamur,

PROPOSITIO X.

Vacuum tamen coacervatum nullibi revertitur.

Equidem Vacui coacervati existentiam neque experientia, neque ulla evincit ratio; sicut argumentum, quod ex Astrorum motu petit Cl. Newton d), ut Vacui coacervati necessitatem in Cœlis Planetariis inferret, tanti haud est, ut ingenuus Philosophus eo vel levissime moveatur. Si enim motus Planetarum, & Cometarum revolutio integra manet, neque Naturæ ordo languescit, tametsi dictorum siderum globi Newtono ipso e) adfirmante in substantia luminis, quæ per immen-

fa

d) Optices p. 371. e) Princip. Phil. Mathem.
Lect. 2. Sect. 7. p. 356.

sa illa spatia quoquoversus est diffusa, moveantur: nulla profecto est ratio: cur subtilissimus æther ē Cœlis Planetariis exturbetur, iique omni corpore prorsus inanes adstruantur; cum ætheris particulæ magnitudinem corpusculorum luminis haud superent, neque proinde ullam, vel saltem non majorem, ac lumen ipsum siderum motui resistendi vim præseferant. Certe vel ipsa luminis natura rationem nobis positivam suppeditat, qua ad pernegandum in Cœlis Planetariis Vacuum coacervatum impellimur. Quippe supponimus, totum illud spatum, in quo versantur Planetæ, a Sole adeo irradiari, ut nulla sit sensibilis pars, quæ lumine careat. Quidquid ergo de luminis natura sentiant Newtoniani, jam manifestum evadit, in illo spatio Vacuum coacervatum nec reapse dari, nec actu admitti ullatenus posse. Si communem in Peripato sententiam amplexi dicant, Solis & Stellarum fixarum lumen accidens esse absolutum: admittant necesse est, Cœlum Planetarium substantia quadam repleri, in qua luminis accidens recipiatur; non enim credimus, ullum esse, qui sentiat, naturæ viribus fieri posse, ut accidens absolutum extra subjectum existat. Si dicant, Lumen in motu, vel pressione fluidissimæ cujusdam substantiæ possum esse, ut Cartesianorum, & plurimorum est opinio, dicant quoque oportet, spatiū,

tium, in quo versantur Planetæ, substantia ejus generis esse refertum, quæ a Sole, Stellisque fixis Spatium illuminantibus premi queat, & moveri. Demum si placeat Newtonianis, Lumen ipsum in effluviis substancialibus a Sole, Stellisque fixis quoquoever sus emissis, vibratisque collocare, fatendum ipsis supereft, totam Planetarum regionem hisce effluviis abundare, nec idcirco fieri posse, ut undique radiis perfusa eoipso penitus inanis, & vacua jure dicatur.

PROPOSITIO XI.

Etsi autem nullum notabile spatum intra Universi hujus ambitum omni prorsus Corpore sit destitutum, Vacuum tamen coacervatum virtute Divina obtineri potest.

Male revera contra torrentem omnium Philosophorum sentiunt cum Duce suo Cartesiani, dum Vacuum omne non minus, ac montem sine valle, aut circulum quadratum ajunt repugnare. Quis enim omnipotens Dei dexteram in eas coegit angustias, ut omne corpus intra parietes, ac tabulata comprehensum in nihilum redigere, omnisque alterius corporis ingressum non valeat prohibere?

hibere? Numquid forte, qui motum corporibus indidit, non etiam motu omni ad tempus ea destituere, atque adeo ab ingressu in locum corporum annihilatorum arcere poterit? aut fortassis cubiculi, vel alterius vasis latera ex sese fluido, vel quovis alio corpore ita repleri postulant, ut eodem destituta in rerum universitate vel non existere possint, vel simul necessario coire debeant? Vulgare quidem est hoc Cartesii, Antonii Le Grand, Edmundi Purchotii, & aliorum præjudicium: quasi vero cubiculi, aut alterius Vasis figura a Substantia, qua repletur, necessario penderet, ant inde, quod nullum corpus lateribus intercipiatur, futurum omnino esset, ut latera mutuo conjungerentur. Negare quis poterit, duos initio globos a Deo potuisse condi, qui in puncto sese mutuo tangerent, quin tamen omni tunc alterius corporis existentia negata secundum convexas eorum superficies exacte unirentur? Suo igitur sensu plus æquo abundant, cum duorum, pluriumve corporum mutuum contactum ex eo necessarium arbitrantur, quod inter ea nihil reale positivum existat; quippe, ut duo corpora physice sese contingent, hoc præterea requiritur, ut corpus ne minimum quidem iis interjici possit, quin a loco suo dimoveantur. Cœterum silentio prætereire non possumus, quanta fuerit Cartesii in sua

sua philosophandi methodo inconstantia, & quam miser doctrinæ nexus: Dum hic nullum non movet lapidem, ut omnis vacui repugnantiam ostendat, illud in sua Cosmogenia aliquando saltem extitisse, nec proinde repugnare vel invitus prodit. Si enim, ut ipse docet, materia hujus universi in partes cubicas, vel fere tales, ut omne Vacuum excluderetur, primo dissecta fuit, quid materiæ divisæ fissuras implevit, antequam subtilissima scobs abraderetur? quomodo, cum plena essent omnia, partes cubicæ circa centra sua torqueri potuerunt? ubi tum ramenta, quæ vacuitates illico reficerent? quid globulis in puncto sese tangentibus interjectum, cum subito tanta materiæ subtilis copia, quæ iis spatiolis replendis sufficeret, non adesset? quid demum & ipsas scobis atomos variis affectas figuris ita connexuit, ut nullum inter eas inane remaneret? Itaque aut Cosmogeniam suam fabulis accenseat, aut ea admissa vacuum olim saltem extitisse, adeoque non prorsus repugnare fateatur.

PROPOSITIO XII.

*Si non darentur Accidentia absoluta, ad-
buc probabiliter omnia salva manerent,
quæ Fides Orthodoxa circa Ven. Eu-
charistiæ Sacramentum docet.*

Quo certius est, sensibiles qualitates in corporibus extra nos positis dari, quibus sensoria nostra immutari, corpora ipsa sensibilia reddi, atque à nobis percipi valeant: eo major Scholasticos inter, atque Recentiores Philosophos fervet contentio, iis existimantibus, has à subjecto, quod afficiunt, ita sejungi posse, ut virtute Divina extra subjectum existere queant; dum hi e converso sensibiles corporum qualitates è mechanicis materiae affectionibus derivant, & sine subjecto, in quo sunt, ne divinitus quidem stare posse arbitrantur. Animus nobis haud est systema Scholasticorum impugnare, aut eidem in thesi contradicere; cum sententiam de accidentium absolorum existentia tamquam rationi naturali non repugnantem, imo Conciliorum Constantiensis, & Tridentini loquendi modo valde conformem, simulque Patrum, & Doctorum, qui post Sæc. XI. è Peripato prodierunt, auctoritate ut plurimum suffultam nunquam non venerati simus. Igitur in hypothesis

pothesi solum inquirimus: an, si accidentia
absoluta non darentur, omnia tamen sarta,
tectaque manerent, quæ Fides Orthodoxa,
& Sancta Mater Ecclesia circa Ven. Eucha-
ristiæ Sacramentum credenda Fidelibus pro-
ponit? id enim vero est, quod à Scholasti-
cis in dubium solet revocari; nam quod ne-
gatis etiam accidentibus absolutis, effectus
naturæ, phænomena, & experimenta physi-
ca feliciter satis exponi queant, negabit ne-
mo, nî in seniori Physica plane sit hospes.
Idcirco ea duntaxat adducenda sunt, quæ in
sententiæ negantis patrocinium promunt Re-
centiores, ut hac ratione adpareat, num eo-
rum sensa cum Ecclesiæ placitis conciliari
probabiliter valeant, an vero digna sint, ut
violatæ religionis arcessantur. Atque ut rem
in plena luce collocemus, Recentiores primo
supponunt, quæstionem hanc: *An dentur
Accidentia absoluta?* mere Philosophicam esse,
atque in asserti hujus confirmationem testi-
monium adferunt Petri de Alliaco S. R. E.
Cardinalis, & Episcopi Cameracensis, qui a)
ait: *Concilia tantum definivisse, non remanere
præcedens subjectum accidentium sensibilium, re-
liquisse autem Theologis disputandum, quid, & quæ
sint illa accidentia, cum hæc quæstio sit NB. me-
re philosophica.* Et loc. cit. *Quod accidentia
panis maneant ibi (in Eucharistia) hoc infer-*

K a

tur

a) 4. Sent. Q. 6. A. 3.

tur ex hoc, quod substantia panis transubstantiatur, & accidentia panis sunt aliud ab ejus substantia. Istud autem secundum nec est evidens, nec est in Scriptura expressum, nec ab Ecclesia determinatum; sed est unum probabile, tamen receptum communiter ab iis, qui sequuntur Philosophiam communem Peripateticorum, sed si esset aliquis, qui diceret oppositum, non esset propterea tamquam hæreticus habendus. -- Scripsérat hæc Alliacensis, ut prætendit P. Veremundus Guffl., b) 40. annis ante Conc. Constantiense, juxta alios autem paulo tardius nempe, annis 21. ante præfatam Synodus; quare de Conciliis anterioribus loquitur, in quibus de materia Transubstantiationis tractabatur; nec ipsum, cum eo tempore turbæ Wicleffiticæ maxime ferverent, omnino latuit, quæ fuerint Joannis Wicleffi Hæresiarchæ sensa; unde facile colligi posse putant, quæ fuerit Alliacensis mens in Concilio Constanti in quo doctrina, & auctoritate cœteris Patribus adeo excelluit, ut ei totum Wicleffianæ damnationis negotium dirigendum committeretur. Igitur præsentem quæstionem mere philosophicam esse dicunt, & oppositam Scholasticorum placitis Recentiorum Sententiam intra Philosophiæ limites contineri; hos profecto si exiret, aut religionem, vel Theologiæ dogmata temere imteret,

peteret, aut tacitas etiam sanctæ Fidei infidias moliretur, neque Ecclesiæ Præfules, inquiunt, neque Romam ipsam fuisse tacituram, cui nihil antiquius, quam novos opinandi modos, qui vel morum disciplinam evertunt, vel Fidei dogmatibus etiam a longe adverfantur, vel cum iis minus cohærere videntur, profligare; cum tamen in aperto sit, ait P. Sinner Benedictinus ^{c)}, Emmanuelem Maignan Ord. Minim. Philosophum, ac Theologum præstantissimum opinionem suam Romæ in ipsa nimirum Ecclesiæ Romano-Catholicæ luce typis dedisse, quin eam ob causam vel minima fuerit censura notatus. Verum videamus, qua ratione in principiis suæ Sententiæ circa Ven. Eucharistiæ Sacramentum discurrant Recentiores. Hi, non secus, ac Scholastici profitentur, Eucharistiam verum esse Sacramentum sensibile, in eo Corpus & Sanguinem Christi vere, ac realiter existere; credunt Transubstantiationem fieri in sensu Catholico; ast ad hæc omnia rite explicanda opus haud esse dicunt ullo accidente absoluto; neque sive ex Conciliis, sive ex Patribus ante Sæc. XI. absolutarum qualitatum necessitatem ita invicte erui contendunt, ut sententia easdem negans temeritatem Religionis accusari valeat. Argumentata tamen, quibus Recentiorum opinio premitur,

^{K 3} sequen-
^{c)} System. Phys. P. 3. Sect. I. §. I.

sequentia fere præcipua sunt, quæ in Cl. Tour-
nely d) adseruntur. Sacramentum Euchari-
stiae debet esse signum sensibile; porro nega-
tis absolutis accidentibus nihil a parte rei ha-
bet Eucharistia, quod sensus afficiat, nihil
quod videatur, nihil, quod tangatur, nihil
quod gustetur. In Eucharistia quidpiam est,
quod frangi, quod reponi in calice, quod
pluribus distribui possit; quid autem erit ac-
cidentibus absolutis negatis, quod vere a Sa-
cerdote frangi, reponi in calice, ac distribui
queat? Eucharistia Sacramentum permanens
est; at quomodo id in Recentiorum fenten-
tia valet, cum clausum in pixide desinente
sensatione, ac speciebus cessantibus ipsum
quoque definat esse sensibile, adeoque verum
Sacramentum? futurum etiam est, ut stante
hac hypothesi perpetuo decipiamur; quia
constanter sensationes nostras referemus ad
objectivum quid residuum de pane, quod
tamen revera non subsistet, Qui etiam salva
erit Transubstantiatio? in omni siquidem
conversione præter terminum *a quo*, & ter-
minum *ad quem* etiam commune medium re-
quiritur, quod ex termino *a quo* remaneat, &
suo modo ad terminum *ad quem* transeat;
quid autem remanet, si omne accidens abso-
lutum negetur? Sed vix fortius est argumen-
tum,

d) Fr. de Euch. P. i. Append. de Spec. E
charist.

tum, quam quod peti solet ex Venerabilium Conciliorum Trid. & Constant. decisione, illud expresse definivit e) in Eucharistia Species panis, & Vini remanere, quid vero sunt species, quam accidentia absoluta? Istud autem f) sequentem Wicleffi propositionem condemnavit - Accidentia Panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento. - ex qua damnata contradictoriam ejus - Accidentia panis manent sine subjecto - definitam esse, nec proinde qualitates absolutas absque piaculo negari posse Scholastici concludunt. Ad hæc argumenta sequenti fere modo, ut mysterii dogma inconcussum servent, Moderni respondere solent: Eucharistiam verum esse Sacramentum dicunt, & negato omni accidente absoluto non desinere esse Signum sensibile; cum non constet, qualis sensibilitas ad rationem sacramenti a Conciliis requiratur; idque Solum ajunt Ecclesiam exigere, ut dogma realis præsentiae Christi, Transubstantiationis, ratio Sacramenti, ejusque sensibilitas integra remaneat, undecunque demum hæc postrema repetatur. Porro Sacramenti sensibilitatem per hoc salvari existimant Recentiores, quod Corpus Christi, ejusque Sanguis omnia Substantiæ panis, Vinique munera suppleat, eoque modo sensoria nostra afficiat, quo a pane & vino naturaliter immu-

tari consueverunt, absque eo, ut qualitas aliqua absoluta panis & vini in Sacramento supersit. *Erroneum enim est dicere*, ait S. Thomas g), *Deum non posse facere per seipsum omnes determinatos effectus*, qui fiunt per quamcunque causam creatam. Has quidem impressiones in sensoriis factas appellant species formales, a quibus sensibilitatem solum extrinsecam effici docent; ast praeter has etiam species objectivas admittunt, & intrinsecam sensibilitatem, quæ in modo consistit, quo Christus in Sacramento realiter præsens est, & operatur; atque has potius objectivas species, non autem formales illas dicunt esse species Sacramentales. Quare clausa etiam pyxide Eucharistiæ Sacramentum sensibile esse censem non quidem per species formales, sed objectivas; quatenus actu quidem non afficit sensus, eos tamen afficeret remotis impedimentis, & actu omnia panis munera supplet, quæ ab eo non consecrato exercentur. Major de fractione difficultas est; sed hanc expediunt, dum eam mere adparentum esse pronuntiant, quemadmodum non realis, sed tantum adparens est panis, quem visu, gustu, & tactu in hoc Sacramento percipimus. Neque opinionem de fractione adparenti novam esse in Scholis Catholicis arbitrantur, ut ex Magistro Sent. 4. Dist.

Dist. 12. dedit Cl. P. Fort. a Brixia. h)
 In calice reponi, ac sumentibus distribui dicunt reale Corpus Domini sub sensibilitate panis paulo ante descripta; Eucharistiam quoque Sacramentum esse permanens adfirman; cum tanto tempore sub speciebus permaneat, quanto incorrupta manisset Panis, Vinique substantia; & et si in pyxide clausa sensibilis esse formaliter definat, non cessat esse tamen sensibilis objective. Argumentum de Sensuum deceptione infirmum esse vel ipse fatetur Cl. Tournely i). Error enim, si quis hic fingi queat, circa accidentia perinde, ac circa substantiam panis emendantur a Fide. Quod ad Transubstantiationem attinet, reponunt, ex eo, quod in Conversione naturali maneat aliquid reale, seu commune medium, haud sequi, id ipsum ad mirabilem hanc prorsus, ac singularem conversionem, quæ nihil simile habet in natura, necessarium esse; unde Bellarminus k) et si quatuor Conversionis notas recenseat, ad ipsam tamen Conversionis notionem aliquid physice remanens, seu commune medium non requirit. Canonem Conc. Trid. venerantur Philosophi Recentiores, quin tamen necesse putent, ut per Species spectatis vel ipsis Gram-

K 5

ma-

b) Phys. Gen. P. 1. Diss. 4. Sect. 1. N. 609.
 i) Loc. cit. p. 305. k) De Sacr. Euch. l. 13.
 c. 18.

maticæ legibus accidentia absoluta designentur. Inquiunt præterea, Patres Tridentinos solam panis, & Vini sensibilitatem, undecunque hæc derivetur, specierum vocabulo intellexisse, imo caute accidentium nomine abstinuisse, ut innuerent, modum, quo Christus instar panis & Vini in Eucharistia latet, nobisque se manifestat, a Philosophorum litigiis nullatenus dependere; præsertim cum Patres in Conc. Trid. referente Card. Pallavicino l) ne quidem quæstiones Theologicas, quæ inter Catholicos in utramque partem ventilari solent, decidere voluerint, multo minus ergo quæstionem hanc, quæ, ut ait Tournely m) jam pridem juris est philosophici. Per Species itaque meras adparentias intelligunt Recentiores, ajunque, adparentias hæc non debere videri paradoxas; cum etiam aliquando Christus teste D. Thoma n) in Sacramento Eucharistiæ sub speciebus pueri, vivæ carnis, Sanguinis &c. adparuerit, nullo tunc ibidem posito accidente absoluto; ex quo inferunt, nihil quoque vetare, quo minus & modo Christus sub speciebus panis & vini sic delitescat, ut sensuum ministerio a pane & vino secerni ob id solum nequeat, quod sensoria nostra eo modo penitus afficiat, quo a pane & vino naturaliter afficiuntur, tametsi nulla

l) Hist. Conc. Trid. m) Loc. cit. n) P. 3.
Q. 76. A. 8.

nulla qualitas absoluta panis & vini in Sacra-
mento reperiatur. Ad auctoritatem Conc.
Constantiensis reponunt, ex actis colligen-
dum, quæ fuerit Concilii mens, cum cita-
tam Wicleffi propositionem condemnasset.
Damnarunt scilicet Patres erroneum Dogma
in eo sensu, quo ab Hærefiarcha sumebatur:
docuit autem hic, ut scribit Labbeus o),
hostium consecratam esse corpus Christi tantum in figura, & verum panem in natura; quocirca
Transubstantiationem inficiatus est, quam
proinde Patres per dictæ propositionis dam-
nationem profitebantur. Secundus articulus
(scilicet secunda Wicleffi propositio) est di-
recte contra Transubstantiationem in principio
expositam, de qua, ut dictum est, loquitur Ec-
clesia in verbis suæ fidei, & determinationis in
hac materia: ita sonant verba censuræ, quam
Theologi Concilio exhibuerunt. p) Conclu-
dunt ergo, definitum non esse, accidentia
absoluta dari, cum quæstio hæc nunquam
fuerit in controversiam adducta, & ideo Cl.
Tournely argumentum ex damnatione Wi-
cleffiticæ propositionis pro absolutis acciden-
tibus petitum vix ullius esse momenti q)
fatetur. Quare sensum definitionis vel mere
conditionatum esse volunt e. g. -- *Si dantur*
accidentia

o) Collect. Concil. p) Ms. Viennense apud
P. Fort. a Brixia Phys. Gen. P. 1. Diss. 4.
Sect. 1. N. 611. q) Loc. cit. pag. 312.

accidentia absoluta, manent sine subjecto. Ubi definitio absolute dogma Transubstantiationis respicit: vel cum Cl. Leonardo Vanroyer^{r)} asserunt, a Concilio quidem definitum fuisse accidentia panis manere sine subjecto panis, non tamen determinatum, quid illa accidentia fint; neque enim Wicleff, nec Concilium accidentia absoluta, sed sola accidentia nominavit; Vox autem *Accidens* late patet, nihilque ad rem & utilitatem Ecclesiæ facere iudicant, sive accidentia Eucharistica dicantur esse qualitates absolutæ, sive aliud quidpiam. Cæterum patentur Patres atque Doctores post Sæc. XI., quales fuere Ss. Anselmus, Bernardus, Bonaventura, Thomas, ven. Scotus &c. in eam abiisse sententiam, quæ, ut ait Cameracensis, recepta erat communiter ab iis, qui sequuntur Philosophiam Peripateticorum: addunt tamen hos absque periculo violandæ religionis cum reverentia in hac quæstione dimitti posse, non fecus, ac in aliis sententiis mere adiaphoris ab iisdem desciscere licet; præcipue cum ea ipsa ætate, qua Philosophia Peripatetica dominabatur, viros celeberrimos adfirment non defuisse, quibus Recentiorum opinio nihil habere periculi videbatur. Sic P. Lanfrancus Archiepiscopus Canturien., cui Romam venienti ob insignem ejus do-
tri-

r) De Sacram. Euchar. c. 5.

ctrinam ad surrexit Alexander II., non per accidentia absoluta, sed per externas panis ad parentias contra Berengarium explicuit, cur Christi corpus in Eucharistia *Panis* adpelletur s). Similia de Walterio, & Abau do Abbatibus t) referuntur. Porro Patres, qui ante Sæc. XI. floruere, Platonem in methodo philosophandi teste Cl. Franc. Patritio u) potissimum secuti sunt, putantes, ejus placita cum veræ Religionis dogmatibus facilius, quam aliarum sectarum principia componi posse. Jam vero cum pateat ex Timæo, sensibiles qualitates a Platone per affectiones mechanicas fuisse declaratas, cumque notum sit, Veteres Ecclesiæ Patres in rebus ad Philosophiam spectantibus uni fere Platonii, quoadusque Eclectica philosophandi norma majores radices egit, adhæsisse; proculdubio ab his qualitates sensibiles eo modo expositas fuisse arguunt, quo ab ipso traditum acceperunt; vel, cum Platonem in aliis a veritate devium persæpe reprehensum, hujus tamen doctrinæ causa non fugillârint, autumnant, eos nullatenus dubitasse, quin hæc sententia, quam tenent, salva religione propugnari quæat. Quodsi tamen veterum monumentorum ratio habeatur, satis aperte
ex

s) L. de Corp. & Sang. Dom. c. 10. t) Apud Mabillonum Tom. 3. Vet. Analector. u) Epist. Nuncup. ad Greg. XIV.

ex Gennadio, atque Sidonio colligi censem, Mamertum Claudianum, quem summis laudibus dicti Scriptores apud Eruditissimum Fleurii x) extollunt, sententiæ qualitates absolutas neganti favisse, qui cum Sæculo V. floruerit, scite subinfert, Cl. Parode, ex iis, quæ differuerat, antiquitatem illius opinionis probari, quæ accidentia absoluta negat. Qua vero ratione id afferere potuisset Mamertus, ni hunc familiarem Patribus eo tempore sensum, ab hoc autem Fausti Rejenfis, quem impugnavit, doctrinam alienam novisset? Ex his judicium quivis ferat, an Recentiorum opinio violatæ religionis accusari debeat, an potius verum sit, negatis etiam accidentibus absolutis probabiliter saltem omnia salva manere, quæ fides orthodoxa circa Ven. Eucharistiæ Sacramentum docet.

x) Hist. Eccl. I. 29. §. 39.

EX

E X P H Y S I C A
PARTICULARI.

PROPOSITIO I.

*Mundus non extitit ex omni æternitate,
sed a Deo T. O. M. creatus est in
tempore.*

Primus adspectabilis hujus Mundi cunabula evertisse dicitur Aristoteles, dum interminatam ei variis in locis y) æternitatem tribuit; tametsi post Trapezuntinum Græcum Sæc. XV. Scriptorem nonnulli hanc Stagyritæ maculam detergere sint conati, quos tamen Eruditissimus P. Benedictus Perrius apud Cl. P. Fortunatum a Brixia z) egregie refutat. Ut igitur juxta Magistri sui mentem Mundi æternitatem nonnulli discipulorum stabilirent, varias consarcinarunt rationes, quæ revera levissimo brachio convelluntur: In specie Proclus viginti, & Averroës Arabs Aristotelis Commentator, ut abnormem hanc sententiam evinceret, duodecim sophismata concessit. At nobis vel ipsa ratione naturali spectata nihil antiquius est, quam Mundum aliquando non extitisse.

Enim-

y) L. 8. Phys. Item l. 1. de Cælo & alibi.

z) Phys. Part. P. 1. §. 2724.

Enimvero cum Mundus Ens compositum, adeoque contingens sit, ut ex primis Ontologiæ principiis constat; necessarium omnino est, ut causam aliquam sui effectricem habeat: solum quippe Ens necessarium in se sufficientem existentiæ suæ rationem complectitur: igitur Mundus neque improductus, neque proin æternus ullo pacto dici valet; cum æternitas & principio, & fine careat: id vero, quod causam sui effectricem agnoscit, ortus sui primordia manifestat, dum de non esse ad esse transivit. Certe, ut egregie hic canit Lucretius a):

----- *Si nulla fuit genitalis origo
Terrarum, & Cæli, semperque æterna fuere,
Cur supra Bellum Thebanum, & funera
Trojæ.*

*Non alias alii quoque res cecinere Poëtæ?
Nempe, ut opinor, habet novitatem summa,
recensque*

*Natura est Mundi, neque pridem exordia
cœpit.*

Proculdubio, si Mundus initio caruisset, homines in ea æternitate viventes, res a Viris celeberrimis, heroibusque præclare gestas litteris consignasset; quis enim hominum eorum tam bardam fuisse indolem credat, ut nullius

a) L. 5. de Nat. rerum.

nullius omnino rei mentione facta , nihil quoque seræ posteritati reliquissent ? nullum autem ullius rei ante Adamum gestæ vestigium extat. Imo si Gentilium historias , & variarum nationum annales percurramus, pleraque, de quibus in iis ante captam, eversamque Trojam differitur, inter fabulas, & Poëtarum commenta jure optimo referuntur. Unde fatetur Diodorus b), minime sibi compertam esse rationem temporum, quæ ante Trojanum bellum fluxerunt, Scriptorum scilicet inopia ; neque sibi constare ait, qui primi fuerint in Orbe Reges, quod in nullis Historicorum libris eorum nomina exprimantur. Præterea ante Olympiadum seriem teste Africano apud Eusebium, c) Græcorum in historia certi nihil habetur, exploratique ; quia nimis perturbata sunt omnia, nec ulla secum ex parte coherent, quæ antea contigisse memorantur : in censum præterea fabularum jure conjiciuntur, quæcunque Isaac de Pereira de Præ-Adamitarum Republica, & Chaldæi, Ægyptii, atque Sinenses de infinitis propemodum antiquitatis Sæculis, & gestis in iis Regum , gentisque suæ facinoribus consarcinarunt. Quid ergo tunc faciebat Deus , antequam mundum conderet ? quærunt profani Philosophi ; an ex omni æter-

b) L. 1. de Fabulosis Antiq. Gestis. c) De Præpar. Evangel. N. 10.

æternitate otio contorpuit? an mutationem aliquam subiit, cum ex non creante factus est creans? Nihil sane horum: Antequam Deus ficeret Cœlum, & Terram, non faciebat aliquid, ait S. Augustinus d) nec potest quæri, quid tunc fecerit? non enim erat tunc, ubi nullum erat tempus. Nec tamen plane otiosus fuit, nec ut quidem respondisse joculariter perhibetur: *alta querentibus gehennam paravit*; sed ab æterno, & ante sæcula se ipsum comprehensive cognovit, & infinite amavit, & fœcunditatem suam ad intra semper exercuit. Nullam vero, cum ex non creante factus est creans, intrinsecam subiit mutationem, sed qui æterna volitione Mundum creavit in tempore, denominationem creatoris ab Entibus creatis absque ulla sui mutatione accepit. Ast Mundum non quidem æternum, & inproductum, ex materia tamen æterna, improducta, Deoque coæva conditum fuisse nonnulli post Hermogenem, & Platonem apud Tertullianum e) sunt arbitrati. Neque autem & hæc opinatio ullam veri speciem præfert; nam si Materia improducta, & eoipso necessaria statuatur, ea quoque absolute ab omni alio Ente independens fit, est necesse: qua ergo ratione a Deo, a quo absolute non dependet, in ordinem redigi potuerit, non apparent: nullum enim

d) l. ii. Conf. c. ii. e) l. de Præscript. c. 33.

enim Deus in eam dominium habere, neque Ens perfectissimum ullum alteri in se dominium concedere potuisset; quod etiam ex parte agnovit Plato, dum fabulatus est, materiæ malitiam, & pervicaciam Deo restitisse, ne talem ex ea faceret Mundum, qualem desideraret, omnis nempe mali & vitii experitem. Sed hæc fabula tollerari posset in Ethniciis fidei lumine destitutis; hoc autem intollerabile prorsus est, quod Philosophi, qui sese Christianos esse jactitant, opinionem de materiæ æternitate non modo tueri, verum & Ss. Patrum sensui conformem pronuntiare non exhorrescant, ut fecit Jacobus Rousseau apud P. Antoninum Valsechi f). Quid vero jam de Fato Democriti, quid de profana Epicuri sententia dicemus, qui Mundum hunc fortuito ex fluctuantium atomorum coitu, quas æternas, & improductas fingunt, coaluisse censuerunt? Explosa hæc jam dudum est insania, & merito: *Si enim Mundum efficere potest concursus atomorum, cur particum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest, quæ sunt minus operosa, & multo quidem faciliora?* g) Quis adeo stultus est, verba sunt Grotii h), ut a casu aliquid tam accuratum expectet, quasi credat casu lapides, & ligna in domum, navis, aut balistæ

L 2

spe-

f) 1. 3. contra Incred. c. 3. g) Cicero 1. 2. de Nat. Deor. h) 1. 1. de vera Relig.

Speciem coalitura, aut ex jactis forte litteris extitum poëma? Refutatis his de Mundi ortu deliriis major est Pantheistarum insanía, qui pro principio impii sui systematis illud Lini Poëtarum vetustissimi adoptantes - επ παντος τα παντα, και επ παντων παν εστιν. Ex universo omnia, & ex omnibus universum; absolutam mundi, & rerum omnium necessitatem statuerunt, quæ ex ipso natura substantiæ divinæ, quam cum substantia universi confundunt, promanaret. Nemo post Xenophanem impietatem hanc magis, & copiosius propugnavit, quam Benedictus Spinoza ex Hebræo Christianus, ex Christiano Athæus, & Pantheistarum corypheus. En Systema monstruosum! Statuit primo vir impius in tota rerum natura non dari, nisi unicam, & individuam substantiam, infinitis attributis dotatam, inter quæ tamen eminent extensio, & cogitatio: Secundo ponit omnia corpora, quæ sunt in universo, solum esse quasdam modificationes hujus substantiæ, quatenus extensa est; omnesque mentes esse modificationes ejusdem substantiæ, quatenus est cogitans. Tertio concludit, hanc unicam substantiam, in quantum cogitans, & extensa est, quæque actione necessaria producit, & continent in se omnia corpora, & omnes mentes, & totum universum, esse Deum, quem proinde cum substantia totius universi

con-

confundit. Verum **O delirationem incredibilem!** non enim omnis error, ut ait Tullius i) flultitia est dicenda. Quam fatuum, quam nefarium est hoc Fatum Pantheisticum! Deus, qui verbis ponitur, reapse tollitur. Quid enim absurdius cogitari potest, quam supremum Ens cum hoc universo confundere, & ex eo aggregatum aliquod ex omnibus corporibus, ex omnibus mentibus, & ex omnibus eorum affectionibus efformare? Quis Deum materialem, & variarum modificationum capacem Ens esse infinitum, necessarium, & immutabile pronuntiabit? Hac stante hypothesi Deus una felicissimus (utpote Ens in omni genere perfectum) ac miserrimus: Sanctissimus, & simul omnis malitiæ centrum: immutabilis, & una Theatrum omnium mutationum: Unus, & in tot partes divisus: simplicissimus, & simul ex omnibus membris, & essentiis, quæ hanc universi molem constituunt, compositus exhibetur. Ecce quantus contradictionum torrens, quam horribilia monstra, ex detestabili hoc systemate prorumpant! Itaque repudiatis omnibus inepte blaterantium hominum deliriis ea sententia est tenenda, quam paucis hisce vocibus exprefsit Moyses k). *In principio creavit Deus Cælum & Terram.* *In principio,* id est, *in tempore,* quo ruit error Aristotelis, qui

Mundo æternitatem attribuit. *Creavit*; quo refellitur Epicuri dementia, qui ex fortuito atomorum concursu mundum coaluisse prætendit. *Cælum*, & *Terram*, sub quibus vocabulis juxta interpretes etiam materia venit, ex qua uno momento creata, deinde sex dierum intervallo *1)* corporum cœlestium, terrestriumque mirandam illam harmoniam efformavit: quo Platonis error de æternitate materiæ reprobatur. Et quoniam præter corpora inanimata Deus etiam narrante Geneseos historia per decursum sex dierum viuentia quæque, & Mentem humanam condidit, hæc non aliter quam effectus infinitæ ejus sapientiæ, ac Omnipotentiæ spectari possunt, quo infamis Pantheistarum vesania convellitur, qui mentes, & corpora meras esse Divinitatis modificationes effutierunt.

PROPOSITIO II.

Inter tria circa constitutionem hujus Universi systemata ceteris præferendum est Tychonicum.

Atque ut a Ptolemaico, quod vetustissimum est, quodque cœlorum soliditatem, & circulorum concentricitatem pro-

fun-

1) Exod. 31. v. 17.

fundamento habet, ordiamur: illud & Astronomiæ, & Physicæ legibus aperte videtur adversari. Quippe Mercurium, & Venerem infra Solis orbitam constituit, Martemque supra Solem nunquam non eminere docet; cum tamen juxta Tychonis, aliorumque Astronomorum accuratissimas observationes Venus, & Mercurius persæpe supra Solem, & Mars infra eum non raro conspiciantur. Per eandem Astronomorum experientiam habemus, Planetas respectu Telluris jam apogæos, jam perigæos esse, quod sane non fieret, si circuli Planetarum omnes Telluri concentrici forent: ille vero orbium excentricorum, & Epicyclorum apparatus, quem fingunt Ptolemaici, naturæ simplicitati prorsus est contrarius. Porro ipsa Cœlorum soliditas quantis non premitur difficultatibus! cum hac ascensus, & descensus Cometarum, eorumque circuitus, major, & minor Planetarum a Tellure distantia, eorum circa suum axem revolutio, Orbitæ Solis per Martem intersectio, Jovialium, & Saturnalium Satellitum circa suos Planetas rotatio, ipsa demum luminis propagatio cum prætensa cœlorum soliditate, atque crassitie nullo pacto conciliari posse videtur. Multiplex etiam illa Cœli Stelliferi directio, qua motu diurno a primo mobili ab Ortu in Occasum, vicissim ab Occasu in Ortum motu proprio, & rursus

jam ad Ortum, jam ad Occasum motu librationis, nec non motu Trepidationis jam ad Meridiem, jam ad Septentrionem abripitur, multiplex revera hæc directio omnes Physicæ leges evertit, quæ docent, omni actioni reactionem æqualem esse, & motus oppositos mutuo sese vel impedire, vel perturbare, vel perimere. Illud jam expendendum nobis occurrit systema, quod olim Philolaus Pythagoricus, & Aristarchus invenit, Nicolaus a Cusa S. R. E. Card. Sæc. XV. suscitavit, & Nic. Copernicus Canonicus Varmiensis in Polonia Sæc. XVI. a quo & nomen trahit, improbo 30 annorum labore stabilitavit, ac plurimum illustravit. Præcipuum hypotheseos hujus caput est, Solem in Centro universi quiescere, & fixi sideris instar habendum esse, tametsi 27 dierum intervallo circa suum axem revolvatur: Tellurem vero inter Planetas referunt Copernicæi, eique jugem, ac omnino trinum attribuunt motum: diurnum scilicet, periodicum: ac Parallelismi, licet hic ultimus aliorum potius motuum sit affectio. Motum directum, Stationes, & recessum Planetarum admittunt, sed discri-
men istud apprens esse dicunt. Systema
hoc legibus, & Observationibus Astronomi-
cis apprime consentaneum esse vel ipsimet
fatentur Tychonici; ei tamen in Physica
nec ut thesi, nec ut hypothesi assentiri pos-
sumus

sumus, partim quod Ss. Litteris, partim rerum naturalium ordini contradicat. Quamplurimi sunt S. Scripturæ textus, qui Terræ quietem, & Solis motum manifeste indicant: missis omnibus vel illa sufficient verba Josue Soli Stationem imperantis m): *Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Ajalon: steteruntque Sol, & Luna donec ulci- sceretur se Gens de inimicis suis.... Stetit itaque Sol in medio Cæli, & non festinavit occumbere Spatio unius diei.* Hunc, & consimiles textus in Sensu proprio, & litterali Patres omnes intellexere; cum nullum allegare queant Copernicani, qui eorum placitis faveret. Nec aliter Orthodoxa sentit Ecclesia, quæ hanc Thesim anno 1615. sub Paulo V. proscriptis, & iterum anno 1633. sub Urbano VIII. tamquam falsam, erroneam, Divinæ Scripturæ adversam, & in Catholicæ veritatis perniciem serpentem condemnavit. Nulla certe ratio, nulla nos cogit necessitas, ut secundum apparentiam solum, & vulgi captum locuturi a litterali, & proprio sensu deflectamus. Quippe in hypothesi Tychonica Astronomica phæno- mena patentibus Adversariis æque bene, ac in Copernicana: physica vero felicius in illa, quam in hac explicantur. Quidni felicius? cum hypothesis Copernicæ contra Physicæ elli asblo? divulgata IVX leges

m) Jos. 10. v. 12.

leges aperte pugnet. Profecto experimur, aves e. g. & nubes longiori etiam temporis mora ita in aëre pendere, ut immotæ eidem pene Telluris punto incumbere videantur; contrarium vero in adversa hypothesi accideret; quippe tellure mota corpora, quæ libere in aëre pendent, Occasum versus jugiter tenderent, & tandem infra Horizontem deprimerentur; imo neque, secus ac testatur experientia, guttæ pluviæ in ea loca directe caderent, queis incumbunt nubes, e quibus generantur. Quid quod in hypothesi Telluris motæ Oceani, Stagnorum, & lacuum aquæ non modo Occasum versus continuo fluerent; quia ob fluxam suam naturam sequi non possent diurnam terræ revolutionem: verum insuper æstu quodam reciproco indefinenter agerentur. Quid quod etiam contra manifestam experientiam perpetuus ab Ortu in Occasum ventus spiraret; cum juxta receptum in Physica, & Mathesi principium partes a principio movente remotiores tardius in gyrum rapiantur, quam viciiores: adeoque Aër longe tardius Orientem versus deferretur, quam Tellus, a qua abripitur, & sic ratione contraria in Occasum propelleretur. Igitur cum neutrum horum Systematum jure nobis placere possit, illud eligimus, quod Tycho Brahe nobilis Danus Sæc. XVI. excogitavit. Solidas ille

Sphæ-

Sphæras confregit, Terram tamen cum Ptolemaicis in centro Universi, & huic Planetarum circulos, demptis Lunæ, ac Solis orbitis, excentricos constituit: cæterum concessa Terræ quiete, ac permisso Solis motu hypothesis Tychonica inversio quædam, & apta moderatio Copernicanæ Systematis a Gassendo ⁿ⁾ nuncupatur. Amplectimur hanc hypothesisim, tum quod Ss. Litteris apprime consonum sit, tum quod per eam nullæ Physicæ leges violentur, nihilque adferri in oppositum queat, quod ipsam etiam hypothesisin Copernicanam ex æquo non premit; tum quod eundem servet ordinem Planetarum, quem evincunt Observationes Astronomicæ, & ejusmodi sit, ut ex ea (si Spiralis Planetarum motus in Subsidium vocetur) omnia astrorum phænomena tamquam e causa proxima deducantur.

PROPOSITIO III.

Sol formaliter igneus est.

*I*d quidem S. Textus ^{o)} non obscure inuit dicens - - *In meridiano exurit terram, & in conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere? fornacem custodiens in operibus ardoris: tri-*

ⁿ⁾ L. 3. Astrom. c. 12. ^{o)} Eccl. 43, v. 4.
& seqq.

tripliciter Sol erurens montes, radios igneos ex-sufflans, & refugiens radiis suis obcæcat oculos. Verum & ratio præsto est; compertum imprimis per experientiam habemus, omnes eas in Sole notas deprehendi, per quas ignem a cæteris corporibus distinguere solemus. Lucet Sol, & calefacit, atque collectis in focum radiis per lentes causticas non secus, ac ignis vehementissimus durissima etiam corpora comburit, penitusque dissolvit: quod quidem eventu felici, ut legere est in Lexico Suidæ, Sæc. VI. tentavit Proclus, cum classem Vitaliani Constantinopolin obsidentis lentibus causticis incendisset: accepit id ab Archimede, qui per uistoria sua specula navibus Marcelli, cum Syracusas obsidione premeret, plurimum intulit nocimenti, uti testatur Plutarchus p.). Manifestius apparet, quante sit virtus radiorum Solarium, si hi in foco Speculi Villetiani, vel vitri Tschirnhausiani colligantur; Corpora enim in tali foco constituta in momento penne discerpunt, liquant, fundunt, & in vitrum convertunt, ut præter Cl. Boërhavium alii Physici peritissimi testantur. Hi autem effectus, quos a Sole in tam enormi illius a tellure distantia proficiisci videmus, luculentiter probant, igneam omnino ejus naturam esse; equidem Solis radii concipi possunt,

ut

p) In Vita Marcelli.

ut lineæ rectæ a Centro Solis erumpentes, & in majori a Sole distantia semper magis divergentes, ut adeo dictorum radiorum vis ob hanc divaricationem decrescat in ratione duplicata distantiarum reciproce sumptarum: Jam si ejusmodi radii in tanta distantia per lentes causticas collecti tam varios, tamque stupendos ignis effectus præstant; nonne quod illi ipsi radii in ea a Sole distantia, in qua æque sua natura condensati sunt, ac in foco per vitra uestoria colliguntur, eosdem omnino, & in minori a Sole distantia fortiores longe ignis effectus essent producturi? Quid ergo impedit, quo minus igneam formaliter esse Solis naturam inferamus? At si Sol formaliter igneus est, qua ratione igitur usuvenit, ut in æstate major sit calor, quam in hyeme; cum tamen Sol in hyeme juxta Cassini observationes 748. semidiametris terrestribus minus a Tellure, quam in æstate distet? cur æstivo tempore montes altissimi Soli viciniores frigore rigescunt, valles vero, & alia loca humiliora magis a Sole remota insigniter calent? Ratio hujus in promptu est: Sol æstivo tempore vertici nostro magis incumbit, quam hyberno; hinc etiam radii illius directione perpendiculari, a qua fortior est impulsus, in tellurem agunt; & cum Sol fons luminis, & caloris diutius in æstate, quam hyeme supra horizontem gyret,

major

major eapropter, & intensior calor excitatur. Quod autem infima aëris regio magis incalescat, quam media, quodque in montibus altissimis æstivo tempore frigus intensum, & in locis humilioribus æstum eo tempore satis validum experiamur, inde oritur, quod radii solares in media aëris regione, locisque editioribus magis dispergantur, in infima vero per reflexionem plus collecti, vi unita, & quasi duplicata, adeoque fortiori operentur juxta tritum illud -- *Virtus unita fortior.*

PROPOSITIO IV.

Luna Corpus opacum, & alieno Solis lumine splendescens incolis non secus, ac cæteri Planetæ destituitur.

A Planetarum Principe ad Lunam novissimum illud, terræque familiarissimum Si-
dus, ut loquitur Plinius q) transimus. Plan-
etam hunc proprii luminis expertem, &
corpus opacum esse, ejus demonstrant eclyp-
ses; hæ si totales sint, totaque Luna umbræ
telluris immergatur, nihil in ea lucis appa-
ret, manifesto sane argumento, totum quo-
ipsa gaudet, lumen mutuaticum esse; cum
secus ex analogia corporum lucidorum eo
tene-

tenebrarum tempore vel maxime clarescere deberet. Porro e Lunæ phasibus erudimur, superficiem ejus valde scabram, & tortuosam esse, montibus asperam, & vallibus dehiscentem: e quibus & maculas ejus sive perennes, sive temporaneas declaramus. Perennes quidem e Lunæ vallisbus, & varaginibus oriuntur, in quibus Lumen Solare quasi obsoletetur, ut adeo easdem non æque, ac partes prominentiores valeat irradiare: Maculae vero temporaneæ meræ sunt umbræ, quæ ab editioribus Lunæ partibus in plagam adversam projiciuntur, quæque pro majori, vel minori Lunæ a Sole recessu augentur, vel decrescant; quare eorum corruit opinio, qui maculas Lunares meros esse Oceanos, flumina, lacusque arbitrantur; sicut etiam illorum sententia, qui marium & atmosphæræ luminaris imagine delusi florentissimam hominum Rempublicam cum Hugenio, Wollofio, Gottschedio &c. in Luna, cœterisque Planetis descripsérunt; ut jam nihil de Swinden Angli stultitia dicamus, qui, ut testatur P. Falck r) ipsam damnatorum sedem in Sole constituit. Ignoramus profecto, quo cœstro perciti Planetarum sphæras ab homini-habitari adserere non dubitarint; cum nec ratio ipsis, nec experientia ulla suffragetur, Sacrae vero Scripturæ Auctoritas aperte in faciem.

r) Contempl. 8. c. 3. §. 5.

faciem resistat s) inquiens - *Fecit ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum.* Confitetur alibi t) Apostolorum Princeps - *Non est in alio aliquo salus . . . nec aliud nomen est sub cœlo datus hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, nisi in nomine D. N. J. C. Nazareni.* Jam ex Planeticolarium assertoribus quæritur: illine homines, qui in Saturno, Jove, Luna &c. degunt, salutem æternam consequi valeant, an secus? alterum stare nequit cum infinita Dei bonitate, qui vult omnes homines salvos fieri: Primum vero si dicatur, jam quærimus: illine salutem per Christum, an sine Christo consequerentur? hoc rursus non valet; quia non est in alio aliquo salus . . . nisi in N. D. N. J. C. Nazareni. Illud autem si adfirment, differant, quis Apostolorum, quos Christus u) jussit *Evangelium prædicare omni creaturæ, & cunctis gentibus,* Jovis, Saturni, aut Lunæ incolis Christum annuntiarit? Sane hæc opinandi licentia ordinem evertit rebus creatis a Deo præfinitum. Luna, cæterique Planetæ producti non sunt eo fine, ut Plantas, bellugas, homines complecterentur, sed luna, ut lumine suo præcesset nocti, & alii Planetæ, ut ornatui cœlo-

s) Act. 17. t) Act. 4. v. 12. u) Marci 16.
 v. 15.

cœlorum hominumque sub cœlo degentium
commodis inservirent; nam *omnia astra
Cœli... creavit Dominus Deus in ministerium
cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt x)*
Inde autem abnormis error iste profectus est,
quod Wolfius, Gottschedius, aliqui existima-
rint, atmosphærā circa corpus Lunare dari
æque gravem, & elasticam, ac atmosphera
gravis, & elastica est, quæ globum nostrum
terraqueum ambit; quocirca supponunt etiam,
vapores, & exhalationes in ea ascendere,
atque sub roris, & pluviæ forma in Corpus
lunæ relabi. Procul tamen a vero abesse
videtur, dum ita putant; nam si revera
circa lunæ corpus atmosphera gravis, &
elastica daretur, Stellæ fixæ, & errantes pro-
pe lunæ marginem sitæ juxta leges Dioptricæ
refractionem paterentur, quemadmodum id
semper in atmosphera nostra experimur;
at vero Stellas fixas, & Planetas nullam pro-
pe lunæ marginem refractionem subire præ-
ter alios Astronomos peritissimos testatur Cas-
finus y). Rationes alias, quibus & Planeti-
colarum Respublica, & lunaris atmosphera
impugnatur, missas facimus.

x) Deut. 4. v. 19. y) Elem. Astrom. I. 3.
c. 3.

PROPOSITIO V.

Cometæ vera sunt sidera Mondo coæva.

Negarunt id omnes, quotquot Cometarum corpora vel cum Aristotele ab halitibus terrestribus in sublimi aëre accensis, vel cum Hevelio a Solis, & Planetarum exhalationibus non secreverunt. Quod quidem hi quo pacto halituum natura, & Cometarum conditione perpensa sentire potuerint, omnino nos latet. Quippe exhalationum five cœlestium, five terrestrium ortus, & accensio, uti fortuita est, diuque durare nequit, sed citissime dissipatur: ita neque constans, neque regularis esse valet; prout quotidiana nos nubium, etiamsi non accendantur, experientia docet: scimus antem cometas diu durare, ut novissime contigit in Cometa anno 1769. apparente, & longo sœpe tempore conspicuos motu constanti, & regulari secundum exactas Astronomorum observationes peculiarem suum Zodiacum describere, quem Cl. Cassinus hisce versibus expressit -

- *Antinous, Pegasusque, Andromeda, Taurus, Orion,*
- *Procion, atque Hydrus, Centaurus, Scorpius, Arcus.*

'Atque in specie terrenas exhalationes a natura Cometarum plurimum alienas esse, inde fatis,

satis, ut opinamur, fit manifestum, quod eæ orbitam lunæ, ne attingant quidem minus exsuperent; Cometas vero plurimos supra Lunam, imo quosdam supra Solem existere horum demonstret Parallaxis, quæ minor fuisse observata est, quam fuerit Parallaxis Lunæ, atque ipsius Solis: Sic Tycho Uranoburgi, & Hagecius Pragæ, referente Cl. Keill ^{z)}, eundem Cometam eodem tempore in eodem Cœli puncto, nempe in eadem distantia a Stella Vulturis conspexere, licet Uranoburgum, & Praga sex gradibus ab invicem in latitudine differant; quod fieri haud potuisset, si Cometes ille Luna inferior extitisset. Igitur ab utraque hac Sententia recedentes iis subscribimus, qui Cometas errantia quædam sidera, Mundo coæva, nostrisque Planetis esse similia dicunt; nam adeo constans, adeo regularis est Cometa-rum motus, ut iter eorum ad plures dies prædici, rursumque reditus stato tempore valeat prænuntiari, quod sane fortuitæ halituum sive cœlestium, sive terrestrium concretioni quis attribuet? Ita Cassinus Christinæ Serenissimæ Suecorum Principi anno 1684. iter Cometæ eo anno apparentis in globo Cœlesti per 6 dies futuros adeo accurate designavit, ut in nullo prorsus a calculo Astronomico aberrarit: quod idem anno

sequente præsttit, dum Cometæ tum conspicui motum non secus, ac alterius Planetae revolutionem in tabula expressisset. Porro vetustam illam Anaxagoræ, Democriti, & aliorum sententiam, qui Cometas collectionem esse Stellarum dixerunt, non respicimus. Grandes enim nonnunquam apparent Cometæ, quot ergo Stellas, quærerit Seneca ^{a)}, coire oporteret, ut tantum Corpus efficiant? certe si mille confluenter, cometam ejusmodi constituere non possent, qualis anno ante æram Christianam 146. sub mole ad Solaris disci magnitudinem proxime accedente conspicendum se præbuit. Ecur etiam Corpus Cometæ telescopio inspectum hanc Stellarum congeriem non prodit, cum id in Via lactea experiamur? Imo si hæc Opinio veritate niteretur, Cometes omnis in momento pene dispareret: id Solis deliquium probat, quod exiguo temporis intervallo durat; cum lunæ Corpus interpositum cito sese retrahat, quod potiori jure de Stellis cœteris dicendum, quæ motu celeriore præditæ diu simul collectæ manere prohibentur.

^{a)} L. 7. QQ. nat. c. 12.

5 M

PRO-

PROPOSITIO VI.

Astris omnem alium influxum, qui non pendeat ab eorum lumine, Calore, motu, ac Interpositione, in hæc sublunaria negamus.

Talpa cæcior foret, qui astris actionem lucis in plagas hasce sublunares adjudicaret. Evidentius etiam nihil est, quam Solis accessu, & recessu quadripartitam anni varietatem induci, benefico ejus calore animalia, plantasque refici, & vegetari, mutationes varias, & mixtorum fermentationes fieri, & ab eodem innumeros alios effectus in natura proficisci. Quid item verosimilius, quam a Lumine reflexo, motu, ac interpositione Corporis lunaris varias in atmosphæra alterationes contingere, ex his autem diversas in animalium corporibus, & plantis mutationes oriri? Denique si admirabilem Oceani consensum, quem cum lunæ revolutionibus habet, consideremus, æstus marini reciprocatio nulli causæ commodius, quam interpositioni Lunæ in acceptis refertur. Quidquid autem effectuum (loquitur Clarke b)) ultra harum causarum efficientiam Lunæ, ac Planetis a Vulgo tribuitur, meræ sunt ineptiæ.

M 3

Nam

b) Not. in Phys. Rohault.

Nam si Luna, cui virtutis plurimum tribuunt, emitteret effluvia humida, quibus pilos crescere, cerebrum in animantibus, medullam in ossibus, carnem in ostreis, cancris, conchyliis, piscibus &c. incrementum sumere deprædicant; sane magna lunaris ejusmodi roris portio, quæ tanto sufficeret augmento, ad Tellurem usque pertingere deberet: constat vero in data hypothesi, necessario fore, ut effluvia isthæc e lunari corpore prorumpentia Sphærice per lineas rectas dispergerentur, radiique eorum tanto magis divergerent, quanto major eorum a luna foret recessus, quo stante, cum enormis sit Lunæ a Tellure distantia, facile divinabit quivis, quam exigua effluviorum lunarium portio ad Terram usque pervenire possit. Quomodo ergo tam immensa cancrorum, ostrearum &c. copia per exiguo hoc rore tam repente saginabitur? quomodo tam modico fermento concitatus Oceanus diebus singulis fluxu, & refluxu adeo regulari æstuabit? Lunaticos autem e lectis ad tecta per effluvia Lunæ proripi, quis credat? num enim funes, aut uncinos, hamulosve emittit Luna, quibus id præstet? Alia porro sidera sive fixa, sive errantia actionem aliquam præter lucem in tellurem nostram per effluvia, aut qualitates occultas exercere, fabella est anilis. Tanta enim eorum cum sit distantia, quam efficax

ipsorum influxus esse queat, haud apparet. Certe si lumen Stellarum ob tantam distan-
tiam ita minuitur, ut omnes collectim ac-
ceptæ nocturnas tenebras dissipare non pos-
sint, quid de efficaci earum in hæc subluna-
ria influxu sentiendum? Itaque sapientius
agunt Philosophi hodierni, dum effectus eos,
quos Lunæ, & aliorum astrorum influxui tri-
buit antiquitas, per alias causas physiscas ex-
plicare moliuntur. Ideo cacchino excipi-
endi sunt, qui præjudicio de siderum influxu
occupati in tabula phlebotomica dies criti-
cos a novilunio tam solerter, ne dicamus,
superstitiose recensent, quasi Luna tam subito
ex optima in pessimam mirabili metamor-
phosi degeneraret, dum dies præcedens
omnium saluberrima, sequens vero totius
anni perniciosissima deprædicatur. Hodier-
norum Medicorum praxis ab hac Vetularum
theoria quam longissime est aliena. Non
minus ridendi, qui annos climactericos, id
est, eos, ad quos gradatim ascenditur, tan-
topere pertinescant. Illud autem insulsita-
tem adversæ opinionis abunde probat, quod
pro demonstrando siderum influxu lepidissi-
mæ fabellæ adferantur; cujusmodi sunt,
Formicam nono lunæ die nunquam e late-
bris exire, quod eum sibi diem contrarium
norit: Gallum impressam sibi habere vim a
Sole, qua eidem e medio antipodum Cœlo

cursum ad nos inflectenti cantu suo applaudit: Partum octimestrem ideo raro vitalem esse, quod eo tempore Saturnus sidus ferale, & noxiū exasperet, suaque frigiditate insanti vires dejiciat, & alia sexcenta. Nugae joculares! cui unquam formica revelavit, nonum lunæ diem sibi contrarium esse? aut quis ubivis locorum excubias agendo observavit, nullam eo die suis e cavernulis prodire? Unde sciunt, vim eam a Sole Gallo esse impressam? num id e familiari forte cum Gallis discursu didicere? Quod de partu Octimestri adfertur, fabulam poëticam olet, quæ tradit, a Saturno propter pactum cunfratre suo Titano editum filios suos omnes (Jove interim in monte Ida a Curetibus servato) fuisse devoratos. *Zacchias* c) ait, octo partum mensium, quidquid post Hippocratem afferant alii, esse magis vitalem, quam septem mensium. Idem tenent Sennertus d) *Tozzius* e) Thomas Reinesius f) aliique. Concludendum ergo, nugas, & gerras esse, quæcunque de astrorum influxu, dempto eorum lumine, calore, motu, & interpositione in medium adducuntur.

c) Quæst. Medic - legal. 1. 1. d) Pract. 1. 4.

P. 2. Sect. 6. c. 1. e) Medic. P. 1. T. 1.

Tit. de Partu. f) Schol. Medic. Jure-

consult. 1. 3. c. 7.

PROPOSITIO VII.

*Quare Astrologia tam meteorologica, quam
Judiciaria vanissimum est commen-
tum.*

Veritas enim vaticiniorum astrologiæ aëreo-
scopicæ imaginario nititur astrorum in-
fluxu, falsoque præjudicio fulcitur, quo am-
plum quoddam Planetis dominium in hæc
sublunaria tribuitur. Sane quotiescumque ad
præsagia tempestatum in Calendariis notata
animum applicamus, vix effectus decem e
centenis assignato tempore contingere expe-
rimur: quemadmodum & Picus Mirandula
Princeps attestatur, se inter 130. dies vix
reperisse 6, qui themati respondissent. Pen-
det atmosphæræ mutatio, ac tempestatum
varietas ab aëre variis vaporibus, & exha-
lationibus pleno, liberōve, a ventis, a vehe-
menti, moderato, vel remisso Solis æstu, at-
que ab aliis causis. Siderum positio, &
Planetarum aspectus ad morbos hominum
nihil conferunt, tum quod inter ipsos nulla
sit connexio, tum quod moderata vivendi
ratione, aliisque remediis evitari queant.
Astrologia vero judiciaria vanissima est Chal-
dæorum impostura, & quot verbis, tot men-
daciis abundat. Divisio domorum cœle-
stium, dignitates Planetarum, astrorum fata,

fausti eorum, aut infausti influxus nulli fundamento subsunt, totaque hæc res, ut ait Tullius g): *est inventa fallaciis aut ad quæsum, aut ad superstitionem, aut ad errorem.* Quæ enim connexio siderum cum futuris, liberisque hominum eventibus? aut cur affigitur prognosticon tempori nativitatis, & cur non instanti conceptū? cur homines, qui idem fatum subeunt, eundem non habent horoscopum? cur, qui eodem tempore nascuntur, eandem non habent vitæ seriem, & fortunam? Profecto iis omnibus non idem erat horoscopus, qui in Pugna Marathonia cœsi, aut in ultimo Terræ-motu Ulyssiponensi obruti, aut anno 1769. Brixiae ista fulmine turri pulveraria, ædibusque quam plurimis everis perempti fuere. Variam autem vitæ seriem, fortunamque in Jacob, & Esau, in Romulo & Remo, in Procle, & Euristhene Lacedæmoniorum Regibus aliisque, licet eodem tempore natis fratribus gemellis suisse in comperto habemus. Vaticinia igitur genethliaca putidissima sunt mendacia, ut adeo peregrecie dixerit Phavorinus apud Aulum Gellium h). *Ista omnia, quæ aut temere, aut astute vera dicunt, præ ceteris, quæ mentiuntur, non sunt pars millesima.* Eapropter cum Astrologia judiciaria

tam

g) L. 2. de Divin. b) L. 13. Noct. attic.
c. I.

tam vana fit, tam mendax, libero etiam hominis arbitrio tam aduersa, usum ejus Ss. Litteræ i) merito reprobarunt, juste Concilia Bracar. I. & Tolet. I. damnarunt, Ss. Pontificis Alexander IV. Sixtus V. & Urbanus VIII. seriosissime interdixerunt. Is non minus a Ss. Patribus præsertim Augustino, Gregorio M. nervose reprehenditur, a Legibus tam Canonicis, quam Civilibus sub pœnis gravissimis prohibetur, & ab omnibus viris doctis solidissime confutatur. Illi vero, qui mendacibus his astrologorum præfagiis pasci amant, non minus acri lixivio, quam commiserationi digni sunt; Enimvero, ut ait Phavorinus k): *Aut aduersa dicunt, aut prospera? si aduersa, & mentiuntur, miser fies frustra timendo. Si aduersa, & vera, prius animo miser, quam fato, hoc est, bis miser eris. Si vero prospera nuntiant, & fallunt, miser fies frustra expectando. Si non fallunt, sed evenient, expectatio te fatigabit, & futurum gaudii fructum Spes tibi jam præflovererit.*

i) Isai. 47. v. 13. & 14. Jerem. 10. v. 2. & 3.
& alibi. k) Loc. cit.

PROPOSITIO VIII.

Fontes perennes immediate ex pluviis, nivibus solutis, atque vaporibus derivantur.

Nulla hic de Fontibus temporaneis dubitandi ratio, consentiunt enim Philosopphi, eorum originem a pluviis, solutis nivibus, vaporibus, ac pecunliari canalium strutura dependere. At multorum opinio est, fontes perennes immediate ex mari occultos terræ meatus penetrante oriri; veritati tamen nunquam non similior visa nobis est eorum sententia, qui fontium perennium originem immediatam partim a pluviis, nivibusque solutis cum Gassendo, Vallisnerio, Mariotte &c. partim cum Boérhaavio, & Hallejo a vaporibus repetunt, qui a mari præfertim in aëra sublati rursus in terram relabuntur. Multa quippe obstant, ne Mare ceu immediatam fontium horum originem constituamus. Enimvero juxta leges Hydrostaticæ liquores homogenei in tubis communicantibus quomodo cunque figuratis, atque dispositis non servant æquilibrium inter se, nisi utrinque superficiem horizonti physice parallelam efforment; Fontes autem plurimos in montium jugis reperiri per experientiam constat, quæ convexam maris super-

superficiem altitudine transcendunt: fieri proinde haud posse videtur, ut aquæ maris ad eam altitudinem sua sponte super montes ascendant, ex qua fontes scaturiunt. Obstat etiam fontium perennium dulcedo, ne eos a mari, quod apprime falsum, & amarulentum est, proficiisci arbitremur: nam quomodo cunque demum aqua marina per spississimos telluris meatus filtretur, nec sales, nec amarulentiam omnino exuit, quod saepe Boyle, Vallisnerius, aliique Physici peritissimi, sed irrito, ut ipsimet fatentur, conatu tentaverunt. Quid quod etiam salinis aquæ marinæ per occultos terræ meatus ruentis particulis pori ipsi sensim obstruerentur, quo venæ fontium, & ipsi fontes perennes aliquando deficerent; sane vasa percolatoria testantibus chemicis, tam salibus in aqua solutis, quam aliis liquoribus transitum prohibent, nisi continuo purgentur. Imo dato, quod aqua marina Salis particulas in terræ meatis deponat, succedens tamen aqua ceu menstruum universale easdem abraderet, resolveret, secumque deferret; inde vero necessario futurum censemus, ut fontes, secus ac docet experientia, falsi semper, & amarulenti manerent. Non omittendum hic, putoeos aquarum dulcium prope maris littora saepius effodi; quorum origo immediata a mori repeti nequit; tum quod incredibile sit,

aquam

aquam marinam in tam brevi distantia omni sua falsoidine, & amarulentia privari; tum quod putei illi siccitate diutius perdurante penitus exarescant. Haud igitur a mari, sed a pluviis, nivibus solutis, atque vaporibus immediatus fontium perennium ortus duci debet. Enimvero pluviæ, nivesque solutæ, halitus item aquei tum ex mari, tum ex continente sursum evecti fontibus perennibus, fluviisque efficiendis omnino sufficiunt, ut observationibus Mariotti, & Halleji comprobamus. Ille inito calculo deprehendit, longe majorem aquæ copiam in locis prope Sequanam decidere, quam ex eodem fluvio in mare derivari, positoque, pluvias in Galliis ad 15. vel, ut ex Observationibus Academicis constat, ad 19. pollices delabi, ostendit, tantam esse in Galliis pluviæ decidentis copiam, ut, si tertia ejusdem pars in vapores abiret, alia telluri humectandæ, plantisque, & animalibus nutrientis inserviret, ea tamen, quæ superefferset, fontibus omnibus, & fluviis in toto Regno perenniter efformandis abunde sufficeret. Hallejus autem, dum vapores e solo mari mediterraneo Solis æstu elevatos cum aquis comparasset, quæ ex Nilo, Tanai, Boristhene, Danubio, Ibero, Tiberi, Pado, aliisque grandioribus fluviis quotidie in mare labuntur, ostendit, universam fluminum copiam vix tertiam aquæ partem

partem æquare, quæ singulis diebus e mari
in vapores abit. Ex quibus manifestum red-
ditur, aquas pluviales, nives solutas, & va-
pores efficiendis tot fontibus perennibus, flu-
viisque omnino pares esse. Nec minus fa-
cile in hac sententia variorum, quæ circa
fontes, fluvios, lacusque occurunt, phæno-
menorum ratio datur. Sic Montes arenosi,
aut ex integro saxo constantes fontibus ca-
rent, quod in iis aqua ad radices usque li-
bere penetret: in his vero ob rimarum de-
fectum idoneus transitus, & aptum aquis re-
ceptaculum non paretur. Quædam Plagæ,
ut Arabia, & Abyssinia fontibus copiosis ob
pluviarum, nivium, & vaporum raritatem
destituuntur: at in iis, ubi persæpe pluit,
ningitque, fontes exuberant. Fontes in
Scotia, & Valesia hyberno tempore siccان-
tur; nivibus dein ineunte vere liquatis, eo,
totoque æstivo tempore aquis turgescunt.
Quod si tamen fontes quidam, & fluvii, ut
Chrysorthon apud Tresenias teste Pausania
in maxima siccitate vel nihil, vel parum
imminuantur, hoc inde non fit, quod imme-
diatum suum ortum ex mari, non vero ex
pluviis, nivibusque liquatis trahant, sed quod
grandia intra montes receptacula existant, in
quibus aquæ in majori copia collectæ per an-
gustum orificium effluant, & sic durante etiam
diurna siccitate fontium, & fluviorum per-
ennitas

ennitas maneat. Porro neque falsedo, neque fontium æstus probat, eos ex mari immediate derivari; falsi enim sunt, vel quia eorum aquæ in transitu per telluris anfractus in fatis mineras impingunt, vel quia cum aqua maris terram subeunte commiscentur: æstuant antem fontes, puteique, dum mare ad littus affluens aquas e fontibus, & puteis defluentes, ac sese in mare exonerare parantes impetu suo retundit, quod quamduum fluxus, & refluxus speciem causare potest. Fatemur quidem fontes quosdam falsos, & amaros, si a mari non longe absint, ab eo immediate oriri posse (non enim in thesi de omnibus omnino loquimur) sunt tamen fontes quidam dulces, qui in Insulis nonnullis e medio velut mari scaturiunt, nec eapropter immediatam sui originem a mari deducunt; nam aquæ e montibus etiam remotioribus per canales infra maris alveum constitutos eo deferuntur, & ibi erumpunt. Sic teste Varenio 1.) *Fluvius Alpheus* in Achaja sub mari per terræ meatus ampliores usque in Siciliam excurrit, ubi in Syracusano littore emergens *Arethusia* vocatur; quod autem fluvius hic idem sit cum Alpheo, inde liquet; quia olim omni quinto anno eo tempore in Sicilia pecudum excrementa ejecit, quo hæc victimis mactatis in Alpheum pro-

projiciebantur, cum in Achaja Olympia celebrarentur. Postremo lubenter admittimus, fontes, & fluvios mediatam ex mari originem habere, ex quo nimis mediante vaporum copia generantur; unde salva manet auctoritas S. Scripturæ dicentis m): *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat:* quod cum Halleji calculo prorsus congruit. *Ad locum, unde exeunt flumina (mediate scilicet) revertuntur, ut iterum fluant.*

PROPOSITIO IX.

*Belluæ non sunt mera automata, sed vita,
& sensu pollent.*

Diogenes Cynicus, si Plutarcho n) credimus, omnium primus fuit, qui vivere belluas, & sentire negavit: at nemo, verbis utimur Huetii o), doctrinam hanc vel tradidit apertius, vel fusius propugnavit, quam Gomesius Pereira, qui in Antoniana sua Margarita perfractis Lycae, in quo educatus fuerat, repagulis, & ingenii sui libertati obsecutus, novum hoc Hispanie paradoxum, aliaque multa proposuit. Crudam hanc, & crudelem sen-

ten-

m) Eccl. 1. v. 7. n) L. 5. de Plac. Phil. c. 20. o) Cenf. Phil. Cartel. c. 8.

tentiam, ut eam vocat Hugenius p), sui iuris fecit Cartesius, ejusque sequaces, docentes, belluas mera esse automata, seu machinas omni sensu, omni vita destitutas, e variis organis ab Auctore Naturæ a fabre compositas, & Spiritibus animalibus instructas, in quibus motus omnes ex legibus solius mechanismi peraguntur, non secus ac in machinis hydraulicis, & horologiis motus regulares contingunt. Verum sententia isthæc neque cum litterali S. Scripturæ sensu, neque cum sana ratione videtur conciliari posse. Scriptura profecto sensum, vitam, cognitionem, aliasque operationes brutis tribuit, quæ non nisi a viventibus procedere possunt: *Producant aquæ reptile animæ viventis*, ajebat Deus q), & iterum r) *Producat Terra animam viventem in genere suo jumenta*, & *reptilia*, & bestias terræ. Alibi s): *Cognovit Bos possessorem suum*, & *Asinus præsepe Domini sui*. Rursus t): *Milvus in cælo cognovit tempus suum*. *Turtur*, & *Hirundo*, & *Ciconia custodierunt tempus adventus sui*. Adeat librum Job u), qui plura Scripturæ testimonia vitae, ac sensui belluarum patrocinantia legere concupiscit: Comperiet ibi gallo cognitionem, vim insidiandi catulis leonum,

p) Cosmoothor. pag. 45. q) Gen. i. v. 20.

r) Ibidem v. 24. s) Isaiæ i. v. 3. t) Je-
rem. 8. v. 7. u) C. 38.

leonus, cervis parientibus dolorem, onagro circumspectionem, Struthioni oblivionem, aliisque bestiis alios effectus adscribi, qui nonnisi a vita, & sensu proficiscuntur. Tamdiu vero juxta auream S. Augustini regulam Scripturæ textus ad litteram intelligendi sunt, quamdiu ex tali eorum intellectu nulla sequitur absurditas, nulla contradic̄tio, nec ulla proinde nos cogit necessitas, ut a littera recedamus. Adeſt autem ratio gravissima, cur hic sensum litteralem nos oporteat tueri. Enimvero tot, ac tantæ sunt belluarum operations, quæ sine cognitione, sensu, memoria quadam, & vita nec intelligi valent, nec exponi. Ut rem exemplis obviis declaremus: nemo nescius est, quanta industria formicæ æstivo tempore frumenti grana colligant, & in horrea recondant, quæ si forte marcescere incipient, ea ex cryptis in aërem apertum siccanda proferunt. Aves mirabili artificio nidos construunt, paleis, plumisque intexunt, solitudine maxima ova, pullosque fovent, nutriunt, & ab injuriis tudentur. Nihil hic de apum solertia, operaque mirando, nihil de canum, vulpiumque astutia, nihil de Simiarum sagacitate, nihil demum de varia volucrum, & aliarum bestiarum docilitate, quæ nec esse, nec intelligi absque omni cognitione valent, commemoramus. Quis persuadere serio sibi possit,

Nisi a bovi canem,

canem, cui pellis detrahatur, clamare quidem, commoveri, ac varie contorqueri, re ipsa tamen haud sentire, ac dolere magis, quam plantam, si cortice spolietur, aut horologium, si rotulæ separantur? Quoties etiam belluae in errorem inducuntur! Canes carnem in tabula pictam voraturos accuruisse vidi mus, & aves legimus ad uvas a Zeuxi depictas turmatim advolasse. Hæcne Cartesiani per exteriorem solum corpusculorum impulsum explicabunt? Quid autem de memoria belluarum loquemur? Canis Ulyssem herum suum lapso 20 annorum intervallo reducem novit, ut Homerus in sua testatur Odyssea: Canis item experientia probante horret fenestram, e qua nuper aqua fervente fuerat conspersus, hominem fugit, a quo vapulavit, ei vero, a quo dapes accepit, blanditur. Illustre est exemplum illud Leonis, & Androdi, quod ex Appione Polyhistore narrat Aulus Gellius x). Cum equidem Androdus Romæ ad bestias esset damnatus, Leo, cui olim in Sylvis erranti, pedemque læsum ostendenti medebatur Androdus, ad eum accurrit in Amphitheatro, ac adulantium canum more caudam blande movit, ejusque crura, & manus leniter demulcere cœpit. Unde hoc? nempe Leo beneficii sibi præstiti memor erat: quis hæc

ab automate speret? Fingamus machinam
afabre factam, & ad id destinatam, ut in
certa distantia malefactores admissos stringat,
perimatque; hæc certa absque personarum
respectu accedentium nulli parsura est. Jam
vero Leo trucidat hos, & illos, parcit An-
drodo, tametsi & hic eidem devorandus
objiceretur; sed non parcit modo, blanditur
insuper, adulatur, & mulcet trepidantem:
demens est, qui talia sine sensu, sine
cognitione, sine memoria peragi posse
arbitretur. Tandem nos commovet bellua-
rum calamitas, cum eas aut pondere nimio
gravari, aut ægrotare, aut verberibus affici,
aut crudeliter mactari videmus; quis autem
in horologium, aliamve machinam, dum in
illo separari rotulas, aut hanc destrui cernit,
affectu commiserationis adeo sensibile fera-
tur? Scimus quidem ab hominibus machinas
artificiosissimas fuisse confectas, quæ viven-
tium operationes admodum æmularentur;
qualis fuit lignea Dædali Venus, Statua Mem-
nonis orientem Phœbum salutans, Caput hu-
manum ab Alberto M. tam afabre factum,
ut ingredientibus salve diceret, Archytæ Ta-
rentini Columba, Regiomontani Aquila, Sa-
tyrus ille, quem in rupe fistula modulantem
visum a se fuisse testatur P. Ignatius Gaston
Pardies, cum interim Echo Nympha ex
adversa Specu arresto capite summa velut

attentione auscultans, eosdem modulos voce statim submissiore redderet; at ex his inferat nemo, Deum quoque belluas ita fuisse machinatum, ut vi solius mechanismi omnes suos motus peragerent; hoc enim illationis genere ansa datur Materialistis non secus id ipsum de homine adfirmandi; cum ex memoratis machinis quædam ita fuerint confessæ, ut earum actiones inter, & humanas magna daretur analogia. Quidquid tamen de hoc sit, falsum omnino est, motus a machinis arte humana confessis iis omnibus similes fuisse, qui a belluis efficiuntur; etenim ii in certo solum genere, & nunquam non uniformes erant; qui cum spontaneis, ac diversissimis belluarum motibus conferri non possunt. Neque belluae solo pollent motu locali, sed etiam præteriorum recordantur, blanditiis attrahuntur, terrentur minis, & variis passionibus agitantur, cuiusmodi motus ab automate, seu mera machina nullus expectet.

PRO-

PROPOSITIO X.

Nec animalia, quæ vulgo dicuntur imperfecta, nec Plantæ ex materia putri nascuntur; sed illa ex ovulis fœcundatis, hæc e Semine specifico prodeunt.

Ea vulgus animalia imperfecta dicit, quæ, ut ait S. Aug. y) *de vivorum corporum vitiis*, vel purgamentis, vel exhalationibus, aut cadaverum tabe gignuntur, vel etiam de corruptionibus lignorum, & herbarum &c. Tametsi hæc animalia perperam vocentur imperfecta, si ad mirabilem organorum, quibus constant, apparatum animum adjiciamus; tum enim fateri cogimur, infinitam Dei sapientiam non minus in his, quam in iis, quæ passim perfecta dicuntur, relucere; cum teste Plinio z) *rerum natura nusquam magis, quam in minimis tota sit*. Quare mirramur, unquam extitisse Philosophos, qui animalculum vel minimum opus omnibus profecto numeris absolutissimum ex putri materia fortuito coaluisse docerent. Tam suspensa siquidem vilissimi etiam vermiculi structura est, ut non modo Ars nulla ipsam imitari, verum etiam acies humanæ mentis

N 4

eam

y) L. 3. Super Gen. c. 14. z) L. 11. Hist. nat. c. 2.

eam neutquam valeat complecti. Qui igitur machina tam admirabilis casu, & inordinato putris materiæ coalitu constanter adeo compingatur? cur animalia, quæ perfecta nuncupamus, parem sui ortus conditionem non fortiuntur? Num forte Solis opera nobilissimum hoc artificium completur? absit. Sive enim motum, sive lumen, sive calorem, sive vim semifinalem, sive occultam influentiam Solis in Subsidium adducamus, Sol inanimatus Planeta non nisi præparantis, ac dispositivæ causæ rationem obtinebit, qua vivens animalculum ex ovulo fœcundato sua primordia proxime, & immediate sumat. Eatenuis ergo animalculum quodvis ex ovulo nascitur, quatenus machinula futuri animalis in ovulo contenta materia putri, & Solis, aliove calore veluti dispositionibus necessario concurrentibus excitatur, evolvitur, & tandem in lucem erumpit. Variis id experimentis ostendere vellemus, nî in obviis Physicorum libris occurrerent ad satietatem, experientiam vero in oppositum vix adductum iri speramus, quæ tam ignobili insectorum genesi patrocinaretur, quamque per semen primordiale, seu stamina futuri fœtus in ovulo contenta explicare haud possemus. Quod autem de animalium origine diximus, eodem prorsus jure de plantis asseveramus. Profecto Plantula quævis tam elegans, tam rarum,

rarum, tam stupendum est Naturæ opus, ut pars omnis ei succumbat, nec adeo, nisi temere ortus ejus in temerarium putris materiæ concursum velut causam proximam, & immediatam refundi queat. Ecce si putris hæc materia plantarum mater est, hæc tam ordinate crescunt? cum tamen, quæ fortuita sunt, certa esse non possint, ut inquit Ciceron^a). Cur hujus speciei plantæ in his, non vero in aliis locis generantur? cur novæ plantæ antehac nunquam visæ non prodeunt? cur aliquæ tantum, cur non omnes e materia putri nascuntur, cum tamen omnes iisdem partibus vitæ vegetativæ destinatis præditæ sint, & alioquin natura compendio studeat, & unitatem, quantum potest, afficeret? Sane solum Semen specificum est, ex quo Planta quævis accidente cæterarum dispositionum farragine generatur: Solum Semen est, in quo rudimenta futuræ plantæ vel nudis, vel microscopio armatis oculis conspicuntur. Id apprime illis consonat S. Scripturæ verbis ^b). Germinet Terra herbam virentem, & facientem Semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cuius Semen in semetipso sit super terram, & factum est ita. Et protulit Terra herbam virentem, & facientem Semen juxta genus suum,

N 5

^{a)} L. 2. de Divin. c. 9. ^{b)} Gen. 1. v. 12.
& 12.

ſuum, lignumque faciens fructum, & habens
unumquodque ſementem ſecundum ſpeciem ſuam.
Si ita eſt, ajunt nonnulli quomodo ergo,
dum jufſit Deus: *Germinet terra herbam vi-*
rentem; Terra ſine ſemine herbam germina-
vit? quomodo ibi, ubi nulla jacta ſunt Se-
mina, crefcunt plantæ? unde, fi ex deter-
minato, & ſpecifico ſuo Semine plantula
quævis prodit, tanta & tam multiplex earum
metamorphofis, qua Triticum in lolium, ſi-
ſimbrium in mentam, rapum in raphanum,
ocymum in Serpillum, Triticum in Zeam,
& vicifim Zeam in triticum degenerare vi-
demus? levia hæc ſunt; quippe Terra pro
via extraordinaria, qua in Mundi primordiis
uſus eſt Auctor naturæ, ſine Semine germi-
nare poterat herbas, quod pro moderna pro-
videntia non valet. Etsi a vero non ablu-
dat, quod aliqui ſentiunt, herbarum ſemina a
Deo condita, Terræ permixta, & tum, cum
dixit: *Germinet terra herbam virentem;* ea-
rum evolutionem e Seminibus jam prius pro-
ductis factam fuiffe. Huic opinioni favet
S. Aug. c) inquiens: *Invisibilium Seminum*
creator ipſe creator eſt omnium rerum; quoniam
quæcumque nascendo ad oculos noſtros exeunt, ex
occultis Seminibus accipiunt progrediendi pri-
mordia, & incrementa debitæ magnitudinis.
Porro nullas ibi plantas crescere, ubi nulla
jacta

c) L. 3. de Trin. c. 8.

jacta sunt Semina, experimentum demonstrat, quod instituit Marcellus Malpighius Medicus Bonon. Accepit hic vas vitreum, eique terram e loco profundiori erutam inclusit, tum vas velo multiplici adeo clausit, ut aërem, & pluviam excipere posset, Semina vero minutissima per aërem volitantia ab eo prorsus excluderentur, videntque ex ea terra gramen nullum, herbamque nullam pullulasse. Si tamen accidat, ut in turrium, domorumque fastigiis, in parietum lateribus &c. plantæ crescant, dicendum est, eo Semina vel ab avibus, vel (cum iis turgeat aér) a ventis, vel alio quocunq; modo deferri. Illas autem plantarum metamorphoses experiri tentarunt Viri celeberrimi Valisnerius, Malpighius, Camerarius, Tanara præstantissimus sui temporis Agriculturæ Magister, Gesnerus, Mathiolus, aliquique, sed irrito semper conatu. Hinc fabella isthæc a credulitate nimia originem trahit, & nescimus, quo fato e campis ad Scholas irrepsit. Potest quidem Planta succi debiti loco haurire alienum, qui tenerim Seminis structuram vel nimium laxet, vel plus æquo coarctet, vel non satis excoctus organa subeat, destruatque: quocirca tum Terræ, tum succi, tum aëris vitio planta mutari, & in aliam fere specie diversam transfire videtur, tametsi, dum organa non sunt plane corrupta, Semen ejusdem plan-

tæ, si conveniens alimentum fortiatur, pristinam denuo formam recuperet, & planta ex eo prioris perfectionis evolvatur. Hæc vero metamorphosis accidentaria solum est, non essentialis. Neque diffitemur, fieri posse, ut in ipsa Seminis maceratione alterius plantæ Semen viam sibi faciat, qua in alienum ovulum penetret, ei nutrimentum subtrahat, & alterius loco efflorescat; nunquam tamen verum erit, ex Semine hujus speciei plantam alterius speciei ortam fuisse. *Putre igitur istud antiquorum ulcus, verba sunt Vallisnerii d), si penitus eradicandum non est, mitigandum saltem, & ad meliorem naturæ ordinem redigendum.* Plures namque præconcepta opinio, & similitudo aliqualis decepit, multos oscitantia in observando, & nimia credulitas. Eo enim incauta, & audax quorundam simplicitas devenit, ut ad miraculum usque plantarum transmutationem evexerint, arborum nempe in agnos, frondium in aves, fructuum in vermes, granorum in mures, & aliorum id genus, quæ omnia inter alios exemplo teredinum, quæ in medio ligno latent, Petrus Jo. Faber pro infallibili veritate asseverare non erubuit - -

*Felices animæ, quibus hæc cognoscere pri-
mum cura fuit!*

Nos

Nos usque adhuc centenis experimentis attriti nullam veram, & realem metamorphosin, nullum spontaneum ortum neque in animali, neque in vegetabili regno vidimus. Expectamus tamen imposterum, si hæc speculandi felicitas inolefcet, ut & plantæ gignant homines, & Ovidianæ fabellæ sub philosophica porticu locum inviant, fidemque, ac gratiam aliquando meditantium habeant. Sic ille.

EXETHICA.

PROPOSITIO I.

Ethica, seu Jurisprudentia naturalis Orbe Catholico nunquam plane exculavit; sed ab Orthodoxis semper, & magis quidem, quam a Protestantibus exculta fuit.

*E*sam Philosophiæ partem, quæ circa mores humanos ad Legem naturæ, & regulas honestatis veræ Felicitatis intuitu conformandos occupatur, Ethicam, Jurisprudentiam naturalem, seu ipsam Juris Naturæ disciplinam appellamus; quidquid Pufendorffii admiratores de nominali magis, quam reali Jurisprudentiæ naturalis, ac Ethi-

ces

ces differentia hucusque disceptarint. Itaque Mores, sive Actus humani, ut jure Naturæ dirigendi, & honestatis naturalis capaces Ethices objectum materiale constituunt; objectum ejus formale est ipsa conformitas cum Lege Naturæ, sive honestas naturalis: homo secundum rectam rationem sapiens subjecti rationem obtinet: Ipsa vero vita honesta finis intrinsecus, & proximus; Felicitas autem naturalis, & vera hominis Beatitas per vitam honestam obtainenda extrinsecus, & ultimus Ethicæ finis nuncupatur. Hanc morum Philosophiam primus homo a Deo hausit; tam vero in posteros transfusa per Legem Divinam Moysi traditam, & libros morales Veteris Testamenti locupletior evafit. Sed neque a Gentilium Philosophis vel ignorata, vel neglecta fuit, tametsi eorum partus in pluribus abortirent. Socrates in hoc philosophandi genere totus quantus immorabatur; hunc secutus Plato ejusdem præcepta congesfis; nec Stoicorum præclarissimi Seneca, Antoninus Imperator, Epictetus &c. operam suam desiderari passi sunt. Opus Marci Tullii Ciceronis de Hominum Officiis splendidum monumentum est Moralis Ethnicorum Philosophiæ: nemo tamen omnium sententia hanc Philosophiæ partem Aristotele sive ordinatus, sive felicius elucubravit. Postquam vero Evangelii lux errorum

rum caliginem dispulit, mirum, quantæ per Legem Novam ad moralem hanc disciplinam accessiones factæ sint; quantum Ecclesiæ Patres desudarint, ut Juris Naturæ præcepta, & Consilia enucleatius explicarent. Testantur hoc SS. Ambrosii, Augustini, Gregorii M. Thomæ Aquinatis &c. opera, in quibus nihil, quod ad Juris Naturalis notitiam pertinet, intactum reliquere; ut adeo putidum sit mendacium, quo SS. Ecclesiæ Patribus, & Catholicis Theologis ignorantiam in referandis Juris Naturæ præceptis imputant Buddæus, Barbeyracus, Thomasius, & præter hos alii septentrionales Aristarchi: sicut etiam enormis est Samuelis Puffendorffii calumnia, qua jactare ausus est, Jus Naturæ ad Hugonis Grotii Phœnicis illius Belgici, vel ad sua potius tempora a Catholicis partim ignoratum, partim confusum, partim Scholasticorum ineptis subtilitatibus, & futili Sacerdotum auctoritate turpiter fuisse conspurcatum. Enormis profecto calumnia! enimvero, si vel solius Theologiæ moralis Scriptores Orthodoxos, ut nihil jam de Christianis Philosophis, & Juris utriusque peritis loquamur, adeamus, commentarios ab iis tum ante, tum post Grotii, & Puffendorffii tempora nunquam non editos fuisse deprehendemus, in quibus non modo ideam, & proprietates Juris Naturæ ad

ad vivum expreſſerunt, ſed etiam illius præcepta, & conſilia ſolidiſſime pertractarunt. Verum quidem eſt, Doctores Catholicos paſſim Juris Naturæ disciplinam cum Theologia morali, & jure poſitivo conjunxiffe; at hoc non eo conſilio factum eſt, ut Sacerdotum auctoritati laxarent frœna, ſed quia non ſcripſerunt hominibus in Statu mere naturali conſtitutis, ſed Christianis, legi Divine tam naturali, quam poſitivæ, legi quoque humanae tam Eccleſiaſticæ, quam Civili ſubjectis; quare conueniens omnino fuīt, ut pro formandis hominum moribus leges adferrent, quæ origine quidem diuerſæ ad eundem tam ſcopum, fineque pertinerent. Hanc vero cum explicandi Juris Naturæ viam iniere, ſaniori conſilio uſos, & felicius ab iis, quam a Protestantibus Ethicam excultam fuiffe arbitramur. Evidem etſi recta ratio per ſe fit propria regula cognoscendi Juris naturalis, & hæc forte ſola pro Statu Naturæ integræ ſuffectura fuiffet; tamen pro moderna hominum conditione, ut infra patet, abſtrahi ab auctoritate præſertim Divina non potest, quæ neceſſarium eſt rectæ, ſanæque rationis criterium. Corruptio profecto Naturæ, intellectus debilitas, rationis caligo, pravæ cupiditates remoræ ſunt, quæ impediunt, ne homo ſatis cognofcat, quod recta ratio reiſpa præſcribit; unde fieri nequit,

quit, ut exclusa auctoritate in iis, quæ a primis principiis remotiora sunt, non sœpe hallucinetur. Quam prudenter ergo egerunt ii, qui Ethicam cum Jure positivo, & morum Theologia copularunt, quique auctoritatem sive Divinam, sive Humanam profonte, ac regula cognoscendi Juris naturalis adhibuerunt! prudentius longe, quam Protestantici Juris Naturæ scriptores, qui Sola ratione duce tot præjudiciis, tot sinistris affectibus occupata, & cuius perspicacia pro subjectorum varietate diversa est, Jus naturæ aggressi sunt explanare. Quippe factum fuit inde, ut repudiata auctoritate ex solo rationis principio horrenda emerserint opinionum monstra, quæ in Atheis hodie, Deistis, Naturalistis, Materialistis, Fatalistis, Libertinis &c. abominamur. Ita nempe usuvit, cum sentiendi libertas, & rationis petulantia intra auctoritatis limites non continetur. Desinant igitur abortivi hi Juris Naturæ interpres clamare, Ethicam a Catholicis unquam vel ignoratam, vel neglectam, vel confusam fuisse, videantque manitiae, quod in tergo est, dum splendidum & ipsi, quid sola ratio valeat, & quantum per ipso incrementi, ac luminis Ethica sumperit, ore proprio testimonium præbent. Principes ab iis in hoc studii genere celebrantur Grotius, Puffendorff, Thomasius, &

Seldenus. Videamus vero, quo hi se se invicem plausu excipient: Virum incomparabilem Thomasius Grotium vocat, & Bud-dæus e) exclamat -- *Fata tandem dedere Hungonem Grotium illum Juris Naturæ restauratorem felicissimum.* Sed continuo testatur Salmasius, Libri ejus de Jure Belli, ac Pacis nullam paginam vacare insignibus erratis. Puffendorffii Juris doctrinam execrabilem appellat Nic. Beckmannus, & horrendum Atheismum. Libros Christiani Thomasi scatere excerptis Atheorum, Scepticorum, Naturalistarum, Socinianorum, quos unquam Gallia, vel Belgium tulit, perhibet Bruckerus f). Seldeni volumen de Jure N. & G. Samuel Puffendorff ipse in eride Scandica refutat, & doctrinam ejus more suo acribus convellere dicteriis nititur. Ex his autem luculenter apparet, quantum Protestantes in explananda Juris naturæ doctrina profecerint, dum vix unus est, qui præcipuos ejusdem interpres vel impietatis, vel confusione non arcessat, patetque, quantum dissentent æra lupinis, & quam feliciter Orthodoxi auctoritatem sive Divinam, sive Humanam Jurisprudentia naturali confociarint.

e) Hist. Juris Nat. §. 22. f) Tom. I, c. 9.
§. 19.

PROPOSITIO II.

*Fundamentale Ethicæ Principium illud est:
Declina a malo, & fac bonum.*

Principium Jurisprudentiæ naturalis effectivum ipsum esse Voluntatis Divinæ decretum, quo Deus T. O. M. res omnes creatas in fines suos peculiares, hominem vero ad finem ultimum sapientissime ordinavit, eique leges, & præcepta dedit, quibus observatis eundem adipisci valeat, passim probatur Ethicæ magistris tam Catholicis, quam Heterodoxis; at quodnam sit primum, ac fundamentale Jurisprudentiæ naturalis principium cognitionis, seu generalissima illa Naturæ lex, in qua omnes actuum humanorum regulæ concurrant, mirum, quantum & illi ab his, & ipsi inter se dissentiant. Nobis tamen Evangelicum illud - - *Declina a malo, & fac bonum*, quod etiam Doctor Angelicus g) adoptavit, maxime placet, ea potissimum de causa, quod conditiones omnes ad primum cognitionis principium practicum in Juris Naturæ disciplina requisitas possideat, e quarum aliquibus faltem aliorum adagia recedunt. Age vero id primum ostendamus, tum hæc ad crisin revocaturi. Principium illud omnium sane *primum* est; cum

O 2

nihil

nihil antiquius in homine rationali sit appetitu ad ea , quæ ratio practica tamquam bona apprehendit; præsertim , quia Bonum rationem finis obtinet ; finis autem in intentione primum est : ita certe a natura comparati sumus, ut in bonum innato veluti pondere feramur , & a malo abhorreamus. Porro cœtera Ethices principia quæque ab eo dependent ; nullum enim eorum est, quod ad bonum morale faciendum , malumque fugiendum non ordinaretur : *Unum* igitur , & *Generalissimum* optimo jure nuncupatur ; de ejus autem *veritate* , & *evidentia* quis ambigat ? proficiscitur ex intimo Naturæ impulsu , quem Creator indidit , & ipsi Naturæ rationali apprime consentaneum est , nec ullum , quantumvis hebes , & bardus sit, sensus ejusdem latere potest. Ipsum denique in genere Soli Jurisprudentiæ naturali , quæ deinceps in Divinam , & Humanam dispescitur , *proprium* , & *adæquatum* est ; detur enim aliqua Ethicæ lex , & regula , quæ ad hoc Evangelicum axioma non reducatur ? Cætera aliorum five Catholicorum , five Protestantium Ethices principia , vel meræ sunt nostri principii paraphrases , vel una , pluribusve proprietatibus destituuntur , quarum defectu primi , ac fundamentalis Ethicæ principii rationem obtinere non possunt. *Præcipua* pro-
mamus.

PRO-

PROPOSITIO III.

Nec Hugo Grotius, nec Wolfius, nec Seldens, nec Thomas Hobbes, nec Christianus Thomasius legitimum Ethicæ principium fundamentale posuerunt.

Ab Hugone Grotio ordimur: Vir hic alioquin doctissimus, & cœteros inter Protestantes modestior, illud pro primo ac fundamentali Ethices principio h) assumpsit: *Fac id, in quo omnes gentes bene moratae contentiunt.* Verum quis propria experientia omnium gentium sensa, & mores investiget? Posset hic adversus Grotium illud argumentum valere, quo petulans Rousseau apud P. Valsechi i) contra religionem revelatam inepte debacchatus est; En dicti Naturalistæ discursum: Inter tot varias religiones, quæ præscribuntur, & invicem se excludunt, una tantum bona est, si tamen aliqua reperiatur; de hac ut certior quis fiat, ei non sufficit examinare unam; sed omnes confrontare, penetrare, conferre, & ita per omnes discurrere provincias debet, ubi quævis seorsim religio est stabilita: & ecce, in-

O 3

b) L. 1. de Jure B. & P. i) L. 3. p. 2.
c. 5.

quit totum Mundum plenum peregrinis, qui hinc inde ad examinandas, penetrandas, & conferendas religiones suis expensis vagarentur. Quam belle hæc ratio adversus Grotium pugnat! Nam nec ille adferre potuit, in quo omnes Gentes bene moratae convenerint, neque nos id propria experientia attingere valeamus; cum etiam gentes illustriores in cultu idolorum, aliisque flagitiis consensisse legamus. Præterea toto vitæ tempore discurrendum nobis per orbem esset, ut Sensa gentium bene moratarum ad trutinam rite vocaremus. Quod quidem argumentum Rousseavio adversus Religionem revelatam nihil prodest; cum hæc non a prudentia humana, sed ab Auctoritate Divina pendeat, quæ ubique eadem est: Grotianum tamen principium tatis eo ex capite convellit, quod hoc, cum evidenter notum esse deberet, in inquisitione rei ignotæ necessario instituenda fundetur. Jam alia aliorum principia strictim percurramus: Wolfius, in suo, quod statuit, adagio hominis beatitatem extra Deum positam esse docet, cuius causa quis eum non censeat acri lixivio dignum? Omnia Noachidarum præcepta, quæ Seldenus pro primis Juris Naturæ principiis adsciscit, ex eo fluunt, quod nos posuimus. Thomas Hobbes k) pro jure

jure omnium in omnes pugnat, & istud principii loco habet: *Pacem colas, & ubi ea haberi non potest, belli auxilia circumspice.* Nihil ille hic de officiis erga Deum, nihil de officiis hominum erga se ipsos commemorat: officia vero erga proximum prorsus evertit. O præclarum Juris naturæ interpretem! Aliud Thomasi adagium: *Salus (temporanea) hominum suprema lex esto,* arridet quidem captui, & palato stultorum, non autem sapientium, qui ad futuræ magis, quam hujus vitæ felicitatem adspirant.

PROPOSITIO IV.

Non minus ineptit Samuel Puffendorffus, dum Socialitatem pro fundamento Juris Naturæ ponit.

Enimvero principium illud: *Socialiter vive, quod Puffendorffius 1) pro infallibili Ethices, ac Jurisprudentiæ naturalis fundamento assumit nec adæquatum est, nec omni ex parte verum.* Quippe Jus naturæ hominem in officiis erga Deum, & erga seipsum quoque dirigat, est necesse, quod utrumque prætensum Socialitatis principium

O 4

ex-

1) *De Jure Nat. & Gent. l. 2. c. 3. §. 15.*

excludit. Hoc item opera interna jure naturali præcepta tollit, & interna flagitia, quibus exterior conversatio non offenditur, hominibus licita reddit. Quis vero non videt, hac ratione Socialitatem ipsam, si rem debite perpendamus, omnino destrui? nam in jus naturæ haud peccarent hypocritæ, invidi, infideles, quorum profecto fidei nemo se se committere posset: quomodo ergo stabunt jura socialitatis, dum Socii fidere nequeunt, Socios ita animo esse comparatos, quales externe se demonstrant? Quid autem de falsissimi hujus principii corollariis dicamus? fluit inde, externam duntaxat Reipublicæ felicitatem in tranquillitate sitam pro scopo habendam esse, & Jus divinum præpostero quodam ordine ad rationem Statutus detorqueri debere, qua agendi ratione Puffendorffiani sinceram omnem religionem eversum eunt. Ex lutulento hoc fonte præter absonta plurima illa quoque Monacho-mastigum sequella fluxit, qua vitam Solitariam juri naturæ repugnantem esse sibi, & aliis persuadere conantur. Quod an verum sit, statim aperiemus.

PRO-

PROPOSITIO V.

Vita solitaria non repugnat Juri Naturæ.

Thesis hæc in sacris fundatur litteris tam antiqui, quam Novi testamenti, quam plerique recipiunt, qui vitam solitariam damnant. In solitudinem festinarunt Nazaræi, Rechabitæ, Filii Prophetarum, qui tantopere in Scriptura commendantur. A primis annis Solitarius erat Joannes Baptista, quem summis laudibus extulit Christus, qui non venit solvere legem sed adimplere; quare cum Joannem laudavit, aperte fassus est, nullam naturæ legem existere, cui Status solitarius repugnaret. At abstrahendum ab auctoritate docet Puffendorfius, cum de Jure Naturæ disciplina agitur; demus id, fatendum tamen erit splendido huic Ethices (si superius placet) restauratori, neque Deum mentiri posse, nec malum ut malum approbare, & utrumque hoc in Jure Naturæ fundatum esse; quod si huic vita Solitaria adverfaretur, Christus extollendo Solitariam Joannis vitam, malum probasset, ac dicendo: se non venisse legem solvere, fuisset mendax, cum Legem naturæ (Baptistam laudando) in effectu solvisset, quod vel cogitare impie-
tas est. Prisca paululum sæcula revolamus,

in quibus monachos veluti quosdam eremiti angelos, & veræ virtutis exempla admirati sunt Imperatores, suspexerunt reges, præfules coluerunt, omnis ætas, & hominum sexus celebravit. Scilicet Soli hodie sapiunt Puffendorffiani, & residuum hominum genus præjudiciis agitur, & in errore detinetur. Nos quidem nec ita faciles sumus, ut vitam eorum Juri naturæ omnino consentaneam esse credamus, qui forte vel a primo sui ortu ab omni hominum convictu, Societate, ac institutione separati brutescunt, ac omni fere humanitatis sensu destituuntur, vel quos Misanthropiæ vitium, non amor solitudinis ab hominum contubernio avocavit: verum vitam eorum, quos non misera nascendi conditio, sed libera voluntas, non odium hominum, sed virtutis, & majoris perfectiōnis amor ab hominum turbis abstraxit, non modo a jure naturæ non abhorrere, sed ei vel maxime conformem esse existimamus. Novimus enim vero, ultimum finem, & veram hominis felicitatem non in rebus caducis, sed in Solo Deo constitui debere, quatenus cum eo per cognitionem, & amorem in mortali hac vita copulamur; quis autem ambigat, facilitatem hanc in solitudine plurimum promoveri? exulant inde Sæculi tumultus, absunt negotia, quæ animi quietem Turbent, abest variarum passionum materia,

qua

qua substracta homo & sibi, & Deo liberius
vacare possit. Audiamus Senecam homi-
nem paganum, qui ^{m)} Lucilium sic alloqui-
tur: *Quid tibi vitandum præcipue existimem,*
quæris? Turbam. *Inimica multorum est con-*
Jervatio; *nemo non aliquod nobis vitium aut*
commendat, aut imprimit, aut nescientibus alli-
nit. *Sic est, non muto sententiam:* *fuge in*
solitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam unum;
non invenio, cum quo te malim esse, quam te-
cum; recede in teipsum, quantum potes. At
nonne (clamat Puffendorffiani) specialem
Ethicam in Monasticam, Oeconomicam, &
Politicalam dispescitis? ubi ergo in solitudine
Societas familiaris? ubi civilis? ubi occasio
eas exercendi virtutes, quæ juri Naturæ
maximo respondent? ubi Philanthropia?
charitas proximi &c.? ubi majus, quam in
claustris, & solitudine otii, aliorumque vi-
tiorum fomentum? *In solitudine cito obrepit*
Juperbia, verba sunt S. Hieronymi ⁿ⁾ dormit
quantum voluerit, facit, quod voluerit. Nonne
homo est *animal sociale?*... Perpetuus est
hic monacho-mastigum clamor, quo quid
indignius, atque ineptius fit, non apparet.
Exturbant hi e civium reipublicæ numero
solitarios, hominesque in claustris degentes,
nec vident, quantum emolumenti in Rem-
publicam five sacram, five profanam ex eo-
rum

^{m)} Epist. 7. ⁿ⁾ Ad Rusticum.

rum institutis nullo non tempore promana-
rit. Quantum pro Bono publico in rebus
sacris semper præstiterint, non est, cur enar-
remus; in Historia Ecclesiastica, sacrisque
annalibus plane peregrinus est, qui hæc igno-
ret. An autem, & quantum ad ærarium
publicum, & fiscum Principis conferant,
opus haud est, ut ejusmodi Juris Naturæ
corruptoribus rationes exhibeantur. Norunt
Principes optime, quid Monachi bona possi-
dentes præstent; sciunt etiam, Mendican-
tium instituta nullum ærario inferre nocumen-
tum; hi enim de iis rebus eleemosynas col-
ligunt, de quibus Benefactores jam tributa
præstiterunt; neque his detrimenti, aut in-
juriæ quidquam accidit, cum ex bonis, quo-
rum Domini sunt, sponte, ac libere mendi-
cantium necessitati succurrant. Juvant Mo-
nachi pressas copiosa prole familias, dum non
exiguum liberorum numerum suscipiunt,
aluntque, qui extra claustra vel ægre, vel
Statui suo non congrue vitam disperso in
plures patrimonio transegissent. Et num-
quid Opifices, pauperesque membra, & ci-
vies sunt Reipublicæ? quantus, vero, &
quam immensus horum numerus monasterio-
rum sumptibus vivit! Mendicantes ipsi ele-
emosynam cum aliis pauperibus dividunt, ac
Benefactores sublevant: pecuniam autem
omnem, quam acquirunt, comparando vitæ

necessaria Reipublicæ fideliter restituunt. Si hæc non est boni publici promotio, quæ tandem erit? Homo natura sua animal sociale est. Ita sane: sed an solitarii diræ alitis instar omnem humanitatem deposuerunt? absit. Occasio quidem nonnullis substracta est, officia socialitatis, easque virtutes, quæ Juri naturæ consonæ sunt, per actus externos exhibendi; sed occasio isthæc majore bono compensatur, quodque præstare pro status sui conditione nequeunt, id abunde resarciant, cum aliis per orationes, & vi-tæ exempla prosunt. Nihilominus ita semper animo comparati manent, ut, si id Reipublicæ bonum postulet, quidquid virium habent, in ejus commodum exequantur. Officia Socialitatis profecto vix alii felicius impleverunt, quam ii, qui e claustris educiti aut Ecclesiæ candelabris impositi fuere, aut Regum, Principumque legationibus functi sunt, aut secretiori consilio admoti ad clavum assederunt. Dum vero otium, aliaque vitia sive solitariis, sive in Claustro degentibus obstrudunt; in memoriam revocent dictum solonis: Γνῶθι σεαυτόν; sciantque, hæc solitariorum quorundam esse, non solitudinis, aut Monastici status, a quo vi sanctionum, & instituti omne vitiorum genus amandatur. Et, amabo! quis hominum status absque nævo? num idcirco status omnis Juri Naturæ

ad

adversatur ? Iepida sane consequentia , & digna Pseudo-politicorum ratiocinio ! Præterea quærant ex S. Hieronymo , cuius auctoritate armati in medium prodeunt , quid ille tot annis in solitudine , in Statu Monastico egerit ? an in superbiam fuerit elatus , aut otio contorpuerit ? Quid egerit ille , docent ejus opera , quæ tantæ sunt eruditionis , quantum neque Puffendorffius , neque ullus admiratorum ejus unquam affecutus est . Postremo supponunt hi , extare legem naturæ , quæ socialitatem præcipiat ; sed falluntur ; quippe censemus , tam parum existere , legem naturæ de socialitate , quam parum extat lex naturæ præcipiens , ut homines in civitates coeant ; sicut igitur liberum erat hominibus in civitates coire , ita liberum ipsis est in Societatem venire ; utrumque consentaneum quidem juri naturæ , sed neutrum in rigore præceptum ; quo tota ruit machina contra solitarios ex lege socialitatis extracta . Igitur æthiopem lavant , quotquot cum Puffendorffio ex innato in Monachos odio horum instituta proscindunt , ac vitam solitariam juri Naturæ minus consentaneam esse probare nituntur ; nunquam enim id , ut opinamur , cordatioribus persuadebunt .

PROPOSITIO VI.

*Vera Felicitas, & ultimus hominis Finis
est Solus Deus.*

Sapienter ait Seneca o) *Vivere omnes beate vel-*
le, sed ad pervidendum, quid sit, quod bea-
tam efficiat, caligare. Quod quam verum sit,
 ex tanta patet opinionum discrepantia, quas
 circa naturalem hominis felicitatem philoso-
 phica quondam antiquitas enixa fuit. Alii
 veram hominis beatitatem cum Epicuro teste
 Torquato apud Tullium p) in animi tran-
 quillitate: alii cum Aristippo Cyrenaicorum
 duce, cum Machomete in Alcorano in fœda
 corporis voluptate: alii in divitiis, honori-
 bus, potentia, & gloria constituerunt. Sto-
 cis, Cynicisque visum est, felicitatem hominis
 in virtute, ac sapientia consistere; quare sa-
 pientem virum etiam in Phalaridis tauro
 beatum prædicarunt. Docuit Aristoteles, fe-
 licitatem hominis esse, ut vivat secundum
 naturam undequaque perfectam, & nihil re-
 quirentem; Plato cœteris altius eluctabatur,
 cum diceret, perfectam hominis beatitatem
 in solo Deo collocandam esse, nec nisi post
 mortalem hanc vitam obtineri posse: unde
 Platonicos S. Augustinus q) sic alloquitur -

Vi-

o) L. de Vita beata. p) L. 1. de Fin. Bon.
 & Malorum. q) L. 10. de Civ. Dei c. 29.

*Videtis utcunque, et si de longinquō, et si acie
caligante patriam, in qua manendum est, sed
viam, qua eundem est, non tenetis. Ita sane:
quidquid extra Deum ratio apprehendit,
ineptum est, ut vera in eo hominis felicitas
constituatur. Vera felicitas, summum Bo-
num, & Ultimus finis pro eodem habentur.
Ultimus finis rerum omnium creatarum ille
est, ad quem ultimo res omnes creatæ re ipsa,
& physice referuntur; hic cum ultra non re-
feratur; nec referri queat, summam homini
felicitatem ad fert, & proinde summum ejus
Bonum dicatur, est necesse. Sunt vero
summi Boni proprietates, ut optimum homi-
ni sit, perfectissimum, pulcherrimum, suffi-
cientissimum, & jucundissimum: hoc bonum,
qui stabiliter possidet, vere felix, & beatus
est. Quid enim juxta Boëtium r) vere
felicitatis nomine venit, quam *Status omnium
bonorum aggregatione perfectus?* Apud igitur
eorum sensa, qui summum bonum, finem ul-
timum, ac naturalem etiam beatitudinem ve-
ram extra Deum quærunt. Bona exteriora
extra hominem sunt, adeoque naturalem ejus
perfectionem summo completere modo non
possunt. Animi tranquillitas sine Deo chi-
mærica est; ut S. Aug. s) *Fecisti nos Do-
mine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec**

per-

r) L. 3. de Consol. Phil. Prosa 2. s) L. 2.
Confess. c. I.

perveniat ad te. Voluptas Corporis ut plurimum turpis est, variisque permixta molestiis, eamque homines cum bestiis communem habent: Divitias instabiles, humiles, curis plenas: robur, & vires corporis caducas esse, quis ignorat? Honor, potestas, & gloria ab alieno pendent arbitrio, immeritis persæpe contingunt, aliorum invidiæ, & periculo subjacent, neque habentem ea perfectiorem reddunt. Sapientia, & virtus animi media duntaxat sunt, quæ ad consequendam veram felicitatem ordinantur. Solus ergo Deus, qui in seipso summe perfectus, propter seipsum summe amabilis, & expetibilis est, qui ex seipso creaturam rationalem summe perficere, ejusque appetitum fatiare, ac prorsus explere valet; Solus Deus est summum Bonum, & ultimus finis, quo obtento tandem homo acquiescit; idcirco hujus possessio veram, & perfectam hominis felicitatem constituit; quæ quidem etsi vera sit in mortali hac vita, ac præcipue in sincera animi conjunctione cum Deo summo Bono consistat, perfectam tamen, etiam naturalem hominis beatitatem in misera hac vita nequam obtineri posse dicimus, sed ad illam in Patria adspirandum est; obstat sane perfectæ felicitati in hac lachrimarum valle massa corporis, indumentum pravitatis, & ignorantiae, vinculum corruptionis, sensitivum

cadaver: obstat irrequieta pravarum cupiditatum turba, Voluntatis inconstantia, timor tum in hac, tum in alia vita a possessione summi Boni, & ultimi finis excidendi; variæ demum calamitates nos impediunt, ne ad claram summi Boni cognitionem, & perfectum, qui cognitioni respondeat, amorem assurgamus.

PROPOSITIO VII.

*Neque vera, & sincera felicitas etiam
pure philosophica in hac vita sine
sanctitate Theologica valet obtineri.*

Obstrepit Wolfius, qui Confucium Sinarum Philosophum ob progressum non impeditum ad maiores continuo perfectiones inter vere Beatos refert; ast male: nam cum Beatitudo naturalis formaliter consistat in morali coniunctione hominis cum Deo, qua homo secundum intellectum recte de Deo sentiat, & secundum voluntatem eidem sincere in omnibus subjiciatur; ignoramus omnino, quomodo homo, qui sine gratia supernaturali, & virtutibus theologicis est hostis Dei, per actus virtutum pure naturalium vere, ac sincere cum eo conjungi possit. Quare inania sunt promissa, quibus Gentiles,

aut

auf Heterodoxi per meram Philosophiam, ac Jurisprudentiam præcise naturalem veram & sinceram felicitatem sequacibus suis pollicentur clamantes -- *Nos sequimini, sectam nostram tenete, si vultis beate vivere.* Nullatenus enim, ut inquit S. Augustinus *Bene vivere dicendi sunt, qui finem bene vivendi vel cæcitatem nesciunt, vel inflatione contemnunt.*

PROPOSITIO VIII.

Ad Dei cultum, & veram hominis felicitatem præter Religionem naturalem necessaria est Religio revelata.

Deum existere in Theologia naturali demonstravimus, ei proinde tamquam Enti infinite perfecto, Auctori, ac Rectori hujus universi cultum aliquem deberi, inficiabitur nemo, nisi forte cum Epicuræis Deum otio torpere, nec ulla rerum humanarum cura tangi existimet, aut cum Hobbesio, & Helvetio pestilentis libri *L'Esprit* auctore æternum justi, ac injusti discrimen e medio tollat, omnemque honesti, & inhonesti rationem a positiva tantum hominum voluntate repetendam esse doceat. Deo igitur Religio naturalis debetur, ea complectens; quæ folius rationis naturalis ope investigare, &

cognoscere valemus; hanc existere, sanctam & veram esse, non est, cur dubitemus; nam recta ratio neque decipitur, neque decipit unquam. Num vero religio hæc naturalis in sese adeo perfecta sit, ut ad Dei cultum, veramque hominis felicitatem comparandam sine interventu religionis revelatæ sufficiat, hoc enimvero est, quod Tindal, Voltaire, Rousseau, aliique Naturalistæ mordicus adfimant; nos vero e converso vel solo impulsi naturæ lumine constanter negamus. Nam si rationem naturalem spectemus, cui Religio naturalis unice innititur, ea adeo infirma est, ut veritates quasdam, quæ ad Religionem completam pertinent, difficulter admodum, aliquas vero plane perspicere non possit. Quis equidem dicet e. g. veritates de Natura, & attributis Dei, de essentia, libertate, & immortalitate Mentis humanæ, de Ortu Mundi &c. à ratione fibi relictæ fine arduitate detegi, atque cognosci? Vidimus, quantum in Religionis negotio ratio naturalis fibi relictæ valeat, dum sapientissimos olim Philosophos, & legum latores, quales Plato, Aristotleles, Solon, Lycurgus &c. fuere, in turpissimos errores prolapsos fuisse legimus. Quid vero de veritatibus iis dicemus, quas ratio naturalis absque revelationis ope plane perspicere nequit? Certum est, quidquid

ogganniat Jacobus Rousseau t), cultum Deo & internum, & externum deberi ; quapropter ad completam Religionem spectat, ut ii ritus, quibus Deus coli vult , determinentur. Num vero ratio naturalis sibi relicta eousque se extendit ? Aliud sane lumen Naturæ non docet, quam supremum Numen esse colendum , nullum vero colendi modum, nullum ritum , nullas cærimonias, nullam actionem indicat ; quomodo enim secus , cum lumen naturæ omnibus inditum sit, tanta Religio num diversitas apud Romanos olim , Græcos , Aegyptios, aliasque nationes barbaras oriri potuisset ? Ipsa quoque ratio naturalis, ni religione revelata fulciatur, ejus efficaciæ non est, ut voluntatem , & appetitum rationalem ad actiones cognitis veritatibus consentaneas impellat : quocirca neque sola ad veram felicitatem homini comparandam sufficit. Docent hoc innumera Veterum Philosophorum exempla , qui etsi doctrinas rationi naturali apprime consonas tradidissent, in actionibus tamen suis ad belluas quam proxime accesserunt : sic ut nihil jam de Socrate, Platone, Aristotele &c. adferamus , sapientissimi sui temporis Trajanus. Hadrianus, M. Aurelius , quorum virtutes ad cœlum usque cum Voltaire extulit Marmontel u),

P 3

in

*) Emile T. 3. p. 124.

u) Belisaire Ch.

15.

in turpissimum carnis vitium, aliudque non unum flagitorum genus propensissimi fuere. Non ergo mirum, quod Juvenalis x) virum probum ætate sua in naturæ portentis numerarit :

*Egregium (ait) sanctumque virum si cerno,
bimembri*

*Hoc monstrum puerο, vel miranti sub
aratro*

Piscibus inventis, aut fætæ comparo mulæ.

Ipsa demum Religio pure naturalis in se spectata maximæ hominum parti minus est accommodata; cum enim sola ratione naturali nitatur, hæc autem veritates plurimas ad completum Dei cultum spectantes ægre admodum perspiciat; quis non videt, religionem hanc insignem intelligentiæ vim, magnam attentionem, & sublime ratiocinium postulare? quas dotes frustra quis a vili plebe, a mulierculis, ab iis, qui aratro, privatisque familiæ curis addicti sunt, expectet. Quæ cum ita se habeant, fateamur oportet, religionem naturalem, licet in se sanctam, veramque, haud tamen sine ad perfectum Dei cultum, qui in actibus tam in- quam externis consistit, sine ad veram, sinceramque homi-

Hominis felicitatem sufficientem esse, sed in-super Religionem aliquam revelatam requiri.

PROPOSITIO IX.

Voluntas hominis libera est libertate tam contrarietatis, quam Exercitii.

Tantus est inter legitimam humanæ libertatis ideam, ac Philosophiam moralem nexus, ut ea vel negata, vel perperam explicata tota morum disciplina corruat; hac autem everfa omnis Religio sive revelata, sive naturalis exscindatur. Quocirca, posteaquam Voluntatem a coactione liberam, & immunem supponimus, quod id a nemine sanæ mentis in dubium fuisse revocatum sci-mus; hoc solum pro scopo assumpsimus, ut pura naturali ratione liberum ejus arbitrium, seu libertatem a necessitate contra Lutherum, Calvinum, Bucerum, Spinozam, pluresque recentiores Philosophastros evincamus. Di-cimus ergo, libertatem a necessitate in eo consistere, quo Voluntas habitis omnibus ad agendum requisitis potest objectum perce-pturn velle, aut non velle: velle item, aut nolle; aut denique velle hoc, aliudve. Illa libertas, qua potest velle, vel non velle, Ex-ercitii, seu Contradictionis: ea vero, qua

poteſt velle, aut nolle, vel hoc velle, aut illud, libertas contrajectatis, & specificatio-
nis appellatur. Quare omnes illas libertatis
definitiones, quas Lockius, Collin, Placet-
te, Jacquelot, Voltaire &c. conglomerant,
rejicimus; ſolam enim spontaneitatem expri-
munt, atque ut veram a necessitate liberta-
tem funditus evertant, hanc cum libertate a
coactione confundunt: Hos autem, dum vel
aperto Marte, vel per curriculos libertatem
humanam aggrediuntur, ut cœcitatem suam
agnoscant, tandemque ſapiant, ad ipſum ſen-
ſum intimum, ad universalem hominum per-
ſuasionem, atque (ut ſcripturæ testimonia, ne
falcem in meſſem alienam mittere videamur,
taceantur) ad leges, & ad formam omnis
Reipublicæ bene constitutæ dirigimus. Splen-
dida ubique pro libero hominis arbitrio oc-
currunt argumenta. Sensus imprimis inti-
mus nobis omnibus certissime testatur, nos
ita velle, quod volumus, ut ipſi nos ad vo-
lendum determinemus, atque, ut persistenti-
bus iisdem adjunctis, & incitamentis nos
ipſos ad non volendum idem, vel ad nolen-
dum plane, vel ad volendum aliud deter-
minare poſſimus. *Sentit animus ſe moveri,*
ait Tullius y), quod cum ſentit, illud una ſen-
tit, ſe vi ſua, non aliena moveri. Ex hoc
autem intimo ſenu, atque naturali quadam
animi

animi propensione ad istud judicium feren-
dum universalis, & constans hominum per-
suasio de libertate humanæ voluntatis, quæ
ab errore omnino immunis est, originem
traxit. Hæc Generalis omnium consensio
tam evidenter lucet, ut nemo, ni expudo-
ratæ sit frontis, eam negare possit. *Nonne*
ista (de libertate humana) *cantant* & *in mon-*
tibus pastores, & *in theatris Poëtæ*, & *in-*
dotti in circulis, & *docti in Bibliothecis*, &
Magistri in Scholis, & *in Orbe terrarum ge-*
nus humanum? Verba sunt S. Aug. z) Pro-
fecto si modernos, veteresque libertatis ho-
stes, si Fatalistas, & nonnullos de Secta
Stoica Cleanthis discipulos cum Pythagora,
Platone, Aristotele, Tullio, cæterisque pri-
mi subsellii Philosophis, cum residua deinde
omnis ævi tam sapientum, quam rudium ho-
minum multitudine, quorum una vox exi-
stentiam humanæ libertatis efferebat, confe-
ramus, nulla priorum habenda est ratio, qui
vel sola paucitate contemnendi in oppositam
sententiam abierunt. Ipse Epicurus, ut in
systemate Democritico liberum hominis arbi-
trium tueretur, clinamen principiorum, ut
ait Lucretius, seu declinationem atomorum
confinxit. Ridiculum quidem effugium,
idoneum tamen, ut, quis fuerit Epicuræo-
rum de libertate humana sensus, nobis in-

notescat. Ab universali omnium hominum consensione ad leges, & formam omnis Republicæ bene constitutæ, quæ teste Solone duobus præcipue, præmio nempe, ac poena continetur, transeamus. *Sublata libertate, ait S. Aug. a) omnis humana vita subvertitur, frustra leges dantur, frustra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur; neque ulla iustitia bonis præmia, & malis supplicia constituta sunt.* Recte quidem: Ecur enim per leges præciperetur quidpiam, quod necessario fieri debet? cur vetaretur aliud, quod vitari non potest? quid proficerent objurgationes, si homo ad agendum, vel non ajendum liber non sit, illudque dira necessitate agere debeat, cuius causa objurgatur? Quæ foret actio virtutis moraliter bona? quod morale malum, si hoc necessario ponatur, nec ullo pacto valeat omitti? Quis laudem ob bene facta, quis vituperium ob scelus admissum merebitur, si in ipsius libera potestate non sit, vel actum ponere, vel ab eo declinare? Quis admonitionum, & minarum finis? aliud profecto non agent ii, quos hortamur, aut minis terremus, quam id, ad quod fatali necessitate compelluntur. Demum haud videmus, qua æquitate scelesti homines ob crimina sua suppicio plecti possent, si in libero ipsorum arbitrio non fuit ab enormi flagi-

flagitio abstinere: *Quis non clamet,* ait Auctor libri de Fide contra Manich. c. 10, *iniquum esse, eum damnare, cui non fuit potestas iussa completere?* Hoc cœca jam dudum agnovit Gentilitas: unde optima fuit illa apud Lucianum in Jove contra Mathematicos ratiocinatio: b) *Si Parca omnium rerum est causa: ergo si quis Patrem occiderit, Parca in culpa est.* *Si Minos recte velit uti iudicio, multo æquius Fatum pro Sisypho, & Tantalo puniet.* *Quid enim illi injuste egerunt, quando Diis obtemperarunt?* His ergo rationibus, ut oportet, perpensis, neminem fore putamus, qui libertate sese destitutum serio adfirmare possit. At quomodo libertas humana cum Præscientia futurorum in Deo concilietur, Theologorum est explicare: neque nos, si opus fuerit, muneri nostro deerimus concordiam hanc ita exposituri, ut integra maneat Præscientia futurorum in Deo, nec tamen in minimo humanæ libertati derogetur.

b) Apud P. Ferrari, Ethic. Disp. 2. Q. 1.

PRO-

PROPOSITIO X.

Salvo jure Naturæ non licet sequi opinionem minus probabilem, relictæ probabiliore.

Instituti nostri haud est, ut propositionem hanc ex principiis Theologiæ supernaturalis comprobemus; sed veritatem ejus ex fontibus propriis, Juris Naturæ scilicet, ac sanæ morum Philosophiæ demonstratum pergimus. Opinionis probabilis nomine illum actum designamus, quo Intellectus gravi, sed fallibili motivo nixus quidpiam aut licitum, aut illicitum esse judicat, quin prixin adhuc respiciat; nam dum judicium istud prixin respicit, quid nempe hic, & nunc agere liceat, vel non liceat, non jam opinio, sed conscientia probabilis appellatur. Si pro opinione stet ratio firma, ejus *probabilitas intrinseca*; si vero auctoritatem, vel testimonium grave pro motivo habeat, probabilitas ipsius *extrinseca* vocari solet. Utraque quosdam veluti gradus recipit, ita, ut alia opinio de rebus gerendis minus probabilis, alia probabilior esse possit; prout nempe una minus, altera magis ad veritatem accedit. Id jam citra controversiam est, cuivis licere juxta opinionem vere probabilem solitarie spectatam operari; nam qui sic operatur, moraliter

raliter certus est, se habere conscientiam rectam, & honeste omnino agere; cum si ex natura actuum moralium, sive ex communi omnium persuasione ad res morales nonnisi requisita moralia exigantur. Verum an secundum opinionem probabilem in respectu probabilioris cognitæ, ut talis liceat operari, hoc est, quod salvo Jure Naturæ fieri haud posse asseveramus. Omnis tamen, priusquam hæc veritas ostendatur, verborum ambiguitas est admoyenda. Opinio minus probabilis, uti & probabilior vel in seipsa, id est, objective talis est, vel subjective, seu relate ad operantem. Nullus hic nobis de majori, vel minori probabilitate objectiva sermo; quippe adstringendus homo non est ad sectandam semper eam opinionem, quæ in seipsa probabilior sit; cum id neque scire, neque inquirere pars hominum maxima valeat: id solum volumus, quemvis jure Naturæ adstringi, ut eam sequatur opinionem, quæ hic & nunc penfatis rerum circumstantiis, omnique passione seclusa subjective, seu operanti probabilior, & veritati vicinior esse videtur, tametsi forte reipsa talis non existat. Quod quidem fundamentali illa ratione ostendimus, qua spectato jure naturali nunquam licet imprudenter operari; nam virtus prudentiæ, qua homo semper cante à malo declinet, & Bonum faciat,

faciat, ut finem suum ultimum assequatur, omnium primo & præcipue a Jure naturali præcipitur. Illum vero quis dicat prudenter operari, qui opinionem eligit, quam adhibita diligentis deliberatione, ac motivis bene libratis, altera probabiliore minus probabilem, & a veritate magis remotam agnoscit? Sane si in theoreticis imprudenter agit ille, qui opinionem amplectitur, quam a vero magis alienam esse novit, ea neglecta, quam veritati propinquiorem advertit, sibique propterea vim quamdam inferre debet; cum intellectus naturaliter in verum feratur; quanto imprudentior erit operatis, qua Intellectus in practicis movet voluntatem ad eligendum id, quod minus bonum est, atque adeo ultimo fini consequendo minus accommodatum eo neglecto, quod melius, & fini præfato magis consentaneum est? Certe ab imprudentiæ nota non absolvitur is, qui in negotiis humanis, ac temporaneis media meliora, & fini assequendo aptiora negligit, eaque assumit, quæ sibi deteriora videntur. Quid vero jam de eo dicemus, qui in materia honestatis, in gravissimo salutis, & ultimi finis negotio non secus procedit? Ast alterum, id que gravissimum est pro sententia nostra argumentum, quo dictante ipso jure naturali nefarium esse scimus operari ex conscientia dubia; cum taliter operans se manifesto

ex-

exponat periculo adversandi legi æternæ, ac naturali, quæ in dubio mediante conscientia nondum est applicita: porro clarum est, operantem juxta opinionem minus probabilem, neglecta probabiliore cognita ut tali magis, quam dubium esse; cum Intellectus non jam hæreat suspensus, sed positive judicet, id, quod amplectitur, minus esse probabile, magis a veritate remotum, probabilius falsum, & moraliter malum, atque adeo taliter operantem non modo probabili, sed etiam probabiliori errandi periculo sese exponere, quod perfecto Natura vel in ipsis animantibus abhorret: Equi certe, ac alia jumenta flumen congelatum transitura glaciei crassitatem, duritiemque pede tentant, nec ante progrediuntur, quam explorarint, nullum ruptionis periculum subesse: Quinimo vulpes teste Plinio c), priusquam transeat, fluvio congelato auriculam admovet, ut ex murmure aquæ infra glaciem fluentis vel aliquod, vel nullum in transitu latere discrimin, sive periculum advertat. Quod vero natura belluis indidit, id forte hominibus denegavit? absit; Intellectus in his æque, ac vis imaginativa in illis potentia naturalis est. Minime nos latet responsum, quod adferunt Adversarii, scilicet imperio voluntatis fieri posse, ut Intellectus a consideratione ratio-

c) L. 8. Hist. nat. c. 38.

num, quæ pro opinione probabiliore pugnant, avertatur, solumque motiva sententiae probabilis perpendat, in quibus proinde nullum errandi periculum reperiat; Verum quid hoc aliud est, quam avertere oculos, ne videant veritatem? quid aliud, quam ruere in præceps, ac in pleno lumine caligare? Haud negamus fieri posse, ut ex imperio voluntatis Intellectus unius, & non alterius opinionis motiva consideret; ast dum utriusque motiva Intellectui præsentia sunt, id, quod adducunt, neque sine violentia, neque sine magnæ imprudentiae notu fieri valet; Veritas enim objectum est Intellectus, qui idcirco eidem dissentiri nequit; igitur cum in concursu opinionis probabilioris cum probabili veritas tantum in probabiliore apparet, huic solum prudenter assensum præbere poterit, non vero probabili, quam probabilius falsam esse judicat. Neque felicius sese expediunt, dum ajunt, nullam in opinione minus probabili relucere falsitatem, sed solum minorem aliquam veritatem, si cum probabiliore conferatur; neque illam in concursu probabilioris omnino improbabilem reddi, sed minus probabilem, minusque veram, quæ solitarie inspecta simpliciter esse vera apparet; quapropter nihil impedire putant, quin Intellectus minus probabili etiam in concursu probabilioris assentiri prudenter queat; cum veri-

veritatem semper pro objecto respicere supponatur. Verum enimvero si motiva sententiæ probabilis cum motivis opinionis probabilius comparemus, illa *improbabilis* jure dicitur; eadem enim motiva, quæ sententiam probabiliorem reddunt, verioremque, reflexe probant, oppositam opinionem improbatum esse, & falsitati vicinorem. Nec enim in moralibus probabile, & probabilius, ceu positivum, & comparativum more Grammaticorum accipimus, ut quidam hallucinantur; sed vim terminorum a variis motivis derivamus, quæ magis accedunt, vel magis recedunt a veritate. Unde si preesse loqui velimus, opinio probabilius simpliciter est probabilis, moraliter certa, & specie distincta ab opinione minus probabili ob specie distincta motiva, hæc proinde in confortio alterius simpliciter improbabili evadit. Hæc expositio Adversariis non probatur; equidem dicunt, Verum se habere ad Intellectum, ut Bonum ad voluntatem: Quemadmodum igitur, cum voluntas magis bonum eligit, id, quod minus bonum est, ea de causa malum non redditur; ita, dum Intellectus opinioni veriori, & probabiliori assentitur, Sententia minus probabilis eo ipso improbabili, & falsa non sit, sed minus vera manet. At dispar utrobique ratio ex ipsa patet objectorum natura. Quippe Bonum

Q

esse

esse divisibile nemo ignorat, & Verum in indivisibile esse situm omnes norunt: Itaque voluntas eligendo minus bonum objecti sui orbitam non egreditur: econverso, quoniam indivisibilis est veritas, Intellectus in verum nunquam non tendere debet; adeoque si ad veritatem, atque certitudinem physicam eluctari nequeat, saltem ei, quod probabilius est, ac vero vicinius, assentiatur est necesse. Tota demum difficultas celebris hujus controversiæ in id fere unum devolvitur: utrum ex opinione minus probabili ultimum, ac moraliter certum conscientiæ dictamen erui queat? quod quidem, quæ ratione in conspectu Sententiaæ probabilioris fieri possit, intelligere vix valemus; nam Intellectus merito tum fluctuat, dubitatque, quod ipfis etiam Probabilistis adeo manifestum est, ut hanc fluctuationem non nisi per reflexiones deponi posse contendant; cum tamen ea principia reflexa nec jus naturæ dictet, nec magis certa sint, quam ipsa probabilis opinio: quod facile ostenderemus, nisi id brevitas intenta prohiberet; At vero dictamen practicum Intellectus opinione probabiliore directum moraliter certum est; In id enim nititur Intellectus, ut veritatem inveniat, totumque præstat, quod morali diligentia præstare potest; hinc, dum verum evidenter eruere nequit, satis ei est, quod

verum

verum verosimilius attingat, & opinionem probabiliorem sequatur; quamvis autem hæc omnem omnino falsi formidinem non excludat, & nonnunquam objective falsa sit, id nihil impedit, cum adhibita morali diligentia error inveniri non possit. Quare Intellectus tunc moraliter certus est de honestate actionis, error autem, si quis irreperet, invincibilis, & nullatenus imputabilis esset, quod de dictamine practico directo per opinionem minus probabilem per pensis quibuscumque principiis reflexis in concursu opinionis probabilioris verificari tam parum potest, quam parum duo judicia contradictionaria una simul de eodem objecto verifiedicari possunt.

O. A. M. D. G.

Cum Permissu Superiorum.

mentinico & dicitur antiquissima studia
etiam auctoritate moderna: dicitur autem
deinde quod omnis iustitia voluntaria pro
excedere & non satis respondere tunc
excedere, cum sabbatis mortis ad
genua tollit inuenient non nulli. Quae si
tamen tunc leolitter certus est de hunc
iustis scilicet ratione sicut et de aliis inveniatur
ad hanc sententiam imponerentur: quod
quoniam tunc sicut per se ipsam be-
procurandum pateretur ex causa in conser-
vacione corporis vestrum tam deum
omnino sicut omnes corporis conservatio-
ne ostendit et hoc est lumen suum
miseris.

D. D. M. A. O.

DE P. C. T. C.


Errata graviora.


Corrigēs.

Pag.	Lin.		
22.	3.	dicent	dicunt.
32.	22.	mento	merito.
37.	10.	Dominus	Duns.
47.	13.	pendent	pendet.
50.	16.	salve	salva.
54.	23.	Reo	Deo.
55.	22.	secundum	secundam.
58.	9.	eluissent	elusissent.
59.	5.	esse	asse.
	12.	mortusque	motusque.
62.	1.	Psychologia	Psychologia.
	17.	sic insanit,	sic insanit, ut
63.	4.	fola	solo
69.	23.	maximo	anaxime
71.	5.	meliores	melioris.
72.	15.	eum	cum
	28.	remuneratur	remunerator
	29.	pervicatiæ	pervicaciæ
76.	14.	adfirmamus	adfirmemus
77.	3.	modicus	mordicus
79.	26.	immeritio	immerito
81.	13.	inquiretur	inquinetur
85.	15.	cognitionis	cognitiones
90.	1.	eoque	eaque
	10.	toto	tota
95.	20.	tuentur	tueantur.
96.	9.	æ	&
	14.	Bithenyci	Bithynice
100.	6.	casulum	casulam
101.	27.	excusa	excussa
105.	28.	elegit	eligit.
106.	14.	putarie	putane
114.	19.	vere	vera
	22.	descriptis	descriptio
117.	3.	præjudicie	præjudicio

<i>Pag.</i>	<i>Lin.</i>		
118.	22.	privatis	privatio
120.	29.	diverse	diversæ
128.	6.	descentium	descendentium
134.	17.	aliam	alium
141.	5.	præferent	præferrent
152.	24.	adparentum	adparentem
157.	26.	quæat	queat
162.	8.	quidem	quidam
163.	8.	tollerari	tolerari
	10.	intollerabile	intolerabile
164.	14.	Athæus	Atheus.
	28.	continent	continet
172.	19.	quante	quanta
174.	4.	intensum	intensius
175.	8.	absorbetur	absorbetur
	19.	Luminaris	Lunaris
	26.	homini	hominibus
176.	9.	Planeticolarium	Planeticolarum
185.	12.	Mirandula	Mirandulæ
187.	14.	commiserationi	commiseratione
189.	30.	mori	mari
197.	4.	certa	certe
	18.	sensibile	sensibili
210.	26.	jurisprudentia	jurisprudentiæ
214.	8.	valeamus	valemus
219.	17.	maximo	maxime
223.	6.	beatam addatur	vitam
232.	2.	contrajectatis	contrarietatis
	10.	curriculos	cuniculos
237.	11.	admovenda	amovenda
238.	14.	operatis	operatio
240.	13.	notu	nota
242.	2.	indivisible	indivisiili.

Plura alia leviora Lector benignus
corrigat.





ヤクニズ
モロコ

